

1817
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE

DE REGNO
BOSPORANO SPARTOCIDARUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

KONRADUS ORTMANN

Silusinus.

HALIS SAXONUM,

FORMIS KAEMMERERANIS

MDCCCLXXXXIV.

Conspectus.

Maxime dolendum est in iis civitatibus Graecis, quae a communi patria longe remotae et undique a barbaris circumdatae vitam degebant difficillimam, quamquam illae ad propagandam humanioris vitae rationem plurimum attulerunt, rerum scriptores non exstitisse, qui facinora ac fortunas, mores studiaque suorum posteris traderent. In his Graeciae tamquam excubiis est regnum in utraque Bospori Cimmerii ora conditum, de quo iam agere institui. Quamquam enim de eius condicione et rebus a multis multa narrata sunt, in quibus Boeckh Grote Clinton Latyschev, tamen et titulis novis inventis et scriptorum locis accuratius perpensis magis magisque illustrari potest, quanti momenti illud regnum illis regionibus fuerit. — De quo regno rerum scriptores veteres nusquam disertioribus verbis dicunt, nedum longius annorum spatium uno tenore complectantur. Summa auctoritas iure vindicatur iis, quae oratores Attici occassione data hic vel illic attulerunt, quippe qui res sua ipsorum aetate gestas memorent. Et quamvis litigantium oratorum studio et ira res interdum exaggerari aut attenuari soleant, tamen fingi eas non licebat. Atque saepius oratores illi, Lysias Isocrates Demosthenes Aeschines Dinarchus res Bosporanas attigerunt.

Plura tradit Diodorus de priore certe aetate. Sed etiam is plerumque nihil memorat nisi quis quo anno imperium susceperit aut quamdiu regnaverit aut quando mortuus sit, idque cum ut annalium scriptor res inter se

coniunctas dilaceret annorum ordine. Hausit autem sua Diodorus saepissime ex chronicorum scriptoribus, pauca tantum ex disertioribus nescio quibus narrationibus singularum rerum velut bellum de successione anno a. Chr. 309 gestum (l. XX). Sed cum annos computet et ab olympiadibus et ab archontibus Atheniensibus et ab consulibus Romanis, iam inde differentias annorum minores exsistere oportet. Deinde ea quae dispersa de regum annis narrantur, ex regum tabellis antiquioribus raptim et neglegenter petita sunt, ubi aliae res componendae locum dabant[1]). Accedit, ut fons eius praecipuus, Apollodorus ut videtur, olympiades non numeraverit[2]). Itaque cum auctores ipsi Diodori optimi fuerint, tamen neglegenti eius rapiditate errores exstitisse videntur in annis numerandis, id quod Volquardsen suo iure in lucem edidit[3]). Ad quos ipsius Diodori errores accedunt multo plures librariorum. Denique cum iam in prioribus libris lacunae et verba scribarum imperitia inquinata non desint, tum inde a libro vicesimo primo nihil nisi fragmenta aut excerpta exstant neque quicquam de Bospori rebus traditur ab anno circiter 303 a. Chr. Itaque memoria teneamus id quod Heyne dicit (de font. hist. Diod. apud Dindorf V p. CXXII): „cum pudore ac modestia versandum esse in iis historiis, quarum nil praeterquam fragmenta habemus, eaque servata in iis scriptoribus, qui ex scriptoribus dudum perditis sua petierant“,

Praeter Diodorum aliquantum plura tradita sunt a Polyaeno. Cuius strategemata variae auctoritatis sunt. Modo enim ex optimis auctoribus sumpta esse videntur maximeque fide digna sunt, modo ex obscuris quibusdam collectaneis aliorum hominum ignotorum fluxerunt ac paene nihil valent. De singulis singulorum librorum et strategematum fontibus conferas, quae subtiliter et acute Melber

1) Volquardsen, Unters. über d. Quellen Diodors XI—XVI p. 19.
2) l. l. p. 24 sq.
3) l. l. p. 21 sq. not. — p. 120.

coniecit[1]). De singulis de Bosporo narrationibus quid statuendum sit, postea exponam, si iis opus erit.

Tum de rebus Bosporanis saepius dicitur a Strabone. Qui ut Amasia, ex oppido Ponti, ortus non est dubium, quin dignus sit, cui fidem habeamus certe in rebus geographicis et ethnographicis ad posteriorem aetatem pertinentibus. De iisdem prioris aetatis Herodotus quoque dicit minore sane peritia, sed maximo veri cognoscendi studio. Sunt quoque alicuius momenti ea, quae geographi minores tradunt, velut Scylax, Scymnus Chius qui vulgo dicitur, cuius peritia ex Ephoro maxime fluxerit.

Accedunt denique membra disiecta aliunde sumenda, ex scholiis quibusdam, ex Aeneae commentario poliorcetico, aliis, quae omnia minus valent, cum fontes plerumque incerti sint.

Inscriptiones autem, tabulae vasaque tumulorum effossae, nummi non tanti momenti videntur esse, quod in illis non multae publicae sunt nec ita magnae, omnino minime variae, tabulae pictae vasorumque figurationes titulique incertam saepe originem indicant, nummi posterioris demum aut incertae aetatis sunt. Collegerunt titulos imprimis Boeckh, tum maxime Latyschev. Vasorum titulos laterumque edidit P. Becker[2]).

Quae cum ita sint, saepissime res in dubio relinquendae sunt, tamen ea, quae singulae sunt tradita, inter se coniungere conabor, quamvis suspicer atque etiam sperem fore fortasse, ut eiusmodi coniecturae novis argumentis sive ex libris sive ex terrae visceribus comportatis aliquando corrigantur.

Sed antequam ad ipsas regni res tractandas transeam, pauca dicam de oppidorum Bosporanorum nominibus et condicione geographica populisque, qui in illis regionibus habitaverint.

Bosporanorum regnum in utraque Bospori Cimmerii

1) Jahrb. f. Philol. u. Pädag. Suppl. XIV p. 419 sqq.

2) Jahrb. f. Phil. u. Päd. Suppl. X.

ora et Europaea et Asiatica conditum erat. Atque omnium eius urbium potentissima Panticapaeum erat. De cuius nomine pauca memoranda sunt, quorum Boeckh iam plurima adtulit[1]). Graeci enim extra regnum habitantes oppidum illud plerumque Bosporum vocant, velut tituli Olbiani[2]) et oratores Graeci[3]). Contra ipsi Bosporani illo nomine universa oppida in utraque freti ora sita, regnum igitur Bosporanum, significant. Item Cherronasitae non ita longe remoti[4]), nec non rerum scriptores Graeci interdum[5]), ad unum omnes tituli Bosporani, in quibus videas quoque saepius *πᾶς* vel *σύμπας* nomini illi adici[6]). Oppido verum ab his nomen inditur Panticapaei[7]), idem a Cherronasitis[8]), ab Arcadibus[9]), ab aliis Graecis[10]). Plinius quidem, cum dicit „Panticapaeum, quod aliqui Bosporum vocant"[11]), utrumque nomen probat, quamquam Panticapaei nomen rectius putat. Nomina gentilicia permulta sunt *Παντικαπαΐτης*[12]), *Παντικαπαιεύς*, *Παντικαπαιάτης*, *Παντικαπεύς*[13]). *Βοσπόριος*[14]), *Βοσποϱανός*[15]), *Βοσποϱεανός*[16]), *Βοσποϱιανός*[17]), *Βοσποϱίτης*, *Βοσποϱικός*[18]). Ceterum praeter *Παντικάπαιον* invenimus

1) C. J. G. II· Inscr. Sarmat. introd.
2) Latyschev. Inscr. orae septent. Ponti I 22. 115—17.
3) Dem. c. Lept. § 27. 29. (Wolf) saepius.
4) Lat. ll. I 184. 185, 10, 32, 35.
5) exempli c. Strab. VII 309 XI 495.
6) Lat. II. 1. 36. 355. 358.
7) Lat. II 358.
8) Lat. I 185, 41.
9) Lat. II. 4.
10) ex. c. Dem. c. Lacr. § 32.
11) N. H. IV 12, 24.
12) tit. et. nummi.
13 Steph. Byzant.
14) Strab. VII 311 Sylloge I. A. (Dittenberger) 140.
15) Lat. I 116. 117. Strab. XI 495.
16) Lat. I 115.
17) Strab. VII 309.
18) Anon. Peripl. Ponti Eux. p. 7. — Plin. l. l. — Constant. Porphyr. de them. II 7.

Παντικαπαῖον, *Παντικαπαία*, *Παντικάπη*[1]). Vide, quam varie et oppidum et cives nominati sint. Idem invenimus in aliis Bospori civitatibus, nec dubito, quin per barbaros ubique illic habitantes aut propter ipsa oppidorum nomina barbara, non Graeca, tanta discrepantia orta sit. Describit oppidum Strabo[2]) his verbis: *λόφος ἐστὶ πάντη περιοικούμενος ἐν κύκλῳ σταδίων εἴκοσι· πρὸς ἕω δ' ἔχει λιμένα καὶ νεώρια ὅσον τριάκοντα νεῶν, ἔχει δὲ καὶ ἀκρόπολιν.* Neumannio autore[3]) Panticapaeum situm erat in ora occidentali Bospori Cimmerii ad clivum montis Mithradatis qui nunc vocatur. Portus eius optimus est in angulo sinus ampli intimo atque usque ad ipsam oram altissimus. Acropolis aedificata erat in cacumine montis, quod est inter orientem et meridionalem solem. Sed ipsa quoque urbs munita erat. Praeterea confinia eius vallo antiquo caementis et aggere exstructo cingebantur, quod inde a freto angulatum usque ap Maitidem porrigebatur[4]). Quod cum Panticapaei tantum agris circumdatum sit, non est dubium, quin ante Nymphaeum prope situm subiectum (c. a. 405) atque omnino ante regnum Bosporanum conditum exaedificatum sit. Quaenam intra muros fuerint aedificia, non nisi ex titulis christianae aetatis scimus.

Ad meridiem versus ipsum quoque ad fretum oppidum Nymphaeum erat situm, Neumannio teste[5]) portu praeclaro gaudens.

Deinde nonnullas civitates exiguas omitto — invenias apud Latyschevium. Altera autem civitas Europaeae partis maior Theudosia erat. Quae condita erat in meridionali Chersonesi ora iisque locis, quibus montes Taurici altissimi se demittunt atque planities paeninsulae septentrionalis Ponto appropinquat. Quae res opportunissima erat urbis cum Scythis commercio, praesertim cum portus Panticapae-

1) cf. Ukert, Geogr. d. Gr. u. R. III 477.
2) VII 309.
3) Die Hellenen im Skythenlande 478 sqq.
4) Neumann l. l. 499.
5) l. l. 475 sq.

ensem portum aequaret[1]). Itaque Theudosia iam olim cum Panticapaeo de commercio Pontico certabat[2]).

Trans fretum in Asiatica regni parte opulentissima erat Phanagoria in angulo sinus Corocondamitidis penitus in terram irruentis sita. Ab anonymo autem Per. Pont. Eux. (§ 46. 47) memoratur et *Φαναγόρου πόλις* et *Φαναγόρεια*. At Scylax, (§ 72) Scymnus Chius (886) Strabo (XI 495) unam tantum Phanagoriam adferunt. Item Ammianus XXII 8^{30}, Plinius n. H VI 6, Pomp. Mela. I 19^{12} Utrumque illud nomen apud Scymnum etiam inducere[3]) non licere iudico, praesertim cum eo dupplex quoque *Κῆπος* et *Κῆποι* exsisteret. Sed verba anonymi confusis fontibus orta esse summo iure adfirmes[4]). — Verba deinde Strabonis, Phanagoriam ad sinistram sinum intrantis sitam esse, qua ratione recta sint, conferas Neumanii locorum descriptionem, qui aquas olim aliter fluxisse optime demonstrat. Accuratissime enim probare studet, lacum, qui hodie vocatur Temrjuk, ad orientem Phanagoria versus situm, olim cum sinu Corocondamitide coniunctum fuisse, cuius rei vestigia etiam nunc inveniantur ad meridiem Phanagoria versus in planitie palustri. Itaque Strabonis verba recta esse. Ceterum Neumanii coniectura magis probatur charta geographica, quae est in „Antiquités du Bosphore Cimmérien (kaiserl. Ausg.)“, quam charta Latyschevii, secundum quem litus Corocondamitidis altius et saxuosum videtur esse. Sed universa ibi terrae configuratio a Bosporo usquead Caucasum fluxa et variabilis est, cum saepissime colles assurgant vulcanici lutum et pulverem aquosum eicientes. — Ut autem Panticapaei, ita Phanagoriae nomen non ubique idem est: Strabo quidem dicit oppidum nominari *ἡ Φαναγόρεια* vel *τὸ Φαναγόρειον*. Ipse autem adhibet *τὰ Φαναγόρεια* quoque. Nomina gentilicia sunt *Φαναγορίτης* et *Φαναγορεύς*[5]): hoc alterum secundum Stephanum

1) Dem. c. Lept. 27 (Wolf).
2) Neumann l. l. 469.
3) Voss apud Gail, Geogr. Gr. min. III 240 sqq.
4) cf. Müller, Geogr. Gr. min. I 233 ad. v. 878.
5) in nummis cf. Mionnet, déscription de médailles II 333.

Byz. rectius est quam *Φαναγορείτης*. Praeterea exstant *Φαναγορία* (confer *Φαναγορίτης* illud), *Φανάγουρις*, *Φαναγόρη*, Phanagorus. — Phanagoria proficiscens ad septentrionem et orientem versus venias Cepos vel Cepum. Hic quoque anonymus ille et oppidum *Κῆποι* et *Κῆπος* memorat, aeque fontes confundens ac supra.

Ceterum plerumque nomen est *Κῆποι*[1]), praeter anonymum nemo nisi Harpocratio singularem numerum exhibet. Etenim apud Stephanum Byz.[2]) rectius item *Κῆποι* legitur.

In eadem fere plaga sita erant oppida Cimmerium sive Cimmeris et Patraeus e regione Panticapaei.

Maiore potentia fuisse videtur Gorgippia, quae sub clivis Caucasi in ora Ponti a Gorgippo Satyri filio, Sindorum principe, condita est aut certe nomen accepit, quandoquidem Strabo[3]) quoque dicet: *ἔστι δὲ καὶ Γοργιπία ἐν τῇ Σινδικῇ, τό βασίλειον τῶν Σινδῶν.* Ceterum duo *Π* scribi oportere ex titulis nummorum elucet[4]).

Porro ad orientem sub Caucaso aliae civitates Graecae erant minoris potentiae, quarum nomina Boeckh Ukert Neumann suis locis numerant.

Totam circum Bosporum regionem olim Cimmerii incolebant[5]), a quibus fretum nomen accepit. Antiquitus autem a Scythis expulsi Asiam impleverunt, quamquam aliquot certe in Bosporo remansisse verisimile est[6]). Quorum ab origine affines esse Tauros asperas Chersonesi rupes obtinentes sunt qui existimaverint, quamquam nil de ea re constat, quia de Tauris fere nihil, nec nomina nec linguae vestigia supersunt. Tauri autem, quoad eius videre licet, a

---

1) Aesch. c. Ctes. § 172 — Strab. XI 495 — Diod. XX 24 — Plin. N. H. VI 6.

2) s. v. *Ψῆσσοι*.

3) XI 495.

4) Mionnet l. l. II 333.

5) Her. IV 11 sq. — Strab XI 494.

6) Neumann l. l. p. 333.

montibus suis numquam descenderunt, finesque eorum prope Theudosiam erant. Isthmus ille, quo ad ipsam paeninsulam Bosporanam transgrediaris, humilis planusque est usque eo, ubi colles Bospori subito assurgunt, qui rursus ad fretum versus lenibus clivis se demittunt[1]). Planitiem illam et Herodoti aetate (V saec.) et Scylacis (IV s.) et Ps. Scymni qui Ephori libris utitur, incolebant non iam Tauri, sed Scythae, iique usque ad mare Ponticum[2]). Theudosia dividebat Tauros et Bosporanos, id est Scythas Bosporo subiectos[3]). Nam usque ad vallum antiquum, quod Theudosia ad Maitidem se porrigens olim servi Scythici fodisse traduntur, Scythae Bosporanis parebant[4]) Cave autem confundas hoc vallum antiquum cum Asandri munimentis postea exstructis. In Europaea igitur regni parte cum Graecis Scythae habitabant, quamquam non ita multi, quod certas sedes aspernantes libentius agros suos Graecis locabant, cum ipsi finitima pervagarentur[5]) — In Asia fines Bospori fluctuabant. Una tantum natio cum Graecis artius coniuncta fuisse videtur, Sindos dico, qui prope fretum paeninsulam, quae nunc est Taman, incolebant usque ad Caucasi montes. Orientem autem versus multorum populorum mentio fit, qui cuncti Maïtae vocantur. Hoc enim nomen est, quod in inscriptionibus occurrit, Herodotus[6]) nomine utitur *Μαιῆται*, Strabo, Polyaenus alii *Μαιῶται*. Qui Sarmatarum affines stirpi indogermanicae certo adnumerantur[7]), non aliter ac Scythae, qui ante a multis Mongo-

1) Neumann p. 470.

2) Her. IV 20. 100. — Scymn. 838 (Müller) — Scylax, § 68. Anon. Per. P. Eux. § 49.

3) Strab. VII 309.

4) Her. IV 3 cf. Boeckh p. 82. 96. — Perrot in Rév. hist. VI p. 32 — Ukert III 466 sqq.

5) Strab. VII 311.

6) IV 123 saepius.

7) cf. Diod. II 43 N. H. VI 7. Perrot l. l. p. 40 sq. Boeckh, Neumann.

lica gens habiti sint[1]). Maitarum autem nomine certos quosdam populos contineri tituli demonstrant, quamvis incertum sint, quot illi fuerint. Strabo[2]) quidem permultos adfert. Atqui ille omnes limnae Maitidis accolas Asianos eo nomine significasse videtur[3]). Tamen dubitandum est iam de Sindis. Strabo enim Maitas eos esse vult, quamquam alio loco terram Sindicam ab Maitis discernit, idem Stephanus Byz. „nonnullos“ existimare dicit. Scylax autem (§ 71. 72) ut Maitas a Sarmatis, ita Sindos a Maitis disiungit. Titulis denique semper singulatim nominantur. Iure igitur Boeckh (p. 101) statuit ab orgine illos Maitas fuisse, sed Graecorum propinquitate mores eorum paullatim mutatos esse, ut brevi alieni ab illis visi sint. Circa annum quadringentesimum rex eorum Graeco nomine Hecataeus vocatur et nummi exstant titulo *ΣΙΝΔΩΝ* significati. — Paucis tum loquendum est de Thatensibus et Doschis (*Θατεῖς*, *Δόσχοι*). Illi enim titulis semper a Maitis secernuntur et aliam ob causam ac Sindi, quippe qui ultimi ad septentrionem prope Tanaim habitaverint. Minus recte eos collocat Boeckh[4]). Doschi non nisi semel in titulis occurrunt idque ut Thatenses a Maitis seiuncti. Praeterea Strabo „Doscorum“ mentionem facit in numero Maitarum[5]). Sed considerantes quae supra de Strabonis Maitis dixerimus, dubitare non possumus, quin Maitae proprie non sint. Ceterum cum Latyschev in illorum regione eos habitare putet, Neumann orientem versus sub radicibus Caucasi septentrionalibus eos domos habuisse vult, quod mihi magis placet. A Strabone autem Maitidis accolis eos adnumerari non est cur miremur, propterea quod gentes illae pervagae saepissime domos mutabant ac nescio an Doschi, ut Sarmatae, Sarmatarum migrationis parti-

1) Niebuhr, Neumann cf. contra. Müllenhoff in Monatsber. d. preuss. Akad. 1866 p. 549 sqq. Tomaschek, Ber. der Wiener Ak. Phil.-hist. Klasse 116, 15. 117, 1. (1888).

2) XI 495.

3) cf. XI 492, 494 init.

4) p. 105 cf. Lat. II introd XIV.

5) XI 495.

cipes fuerint itaque postea ad Maitidem propius accesserint. — Ex ceteris Sarmatis denique Iaxamates partes quasdam gerunt in rebus gestis Spartocidarum. Erant prope Tanaim. Quod flumen antiquitus erat inter Scythas et Sarmatas[1]). — Interdum Caucasi quoque populi quidam montani sub ditione Bosporanorum erant, ut Achaei — mirum est Graecum nomen ac multas fabulas excitavit – Heniochi et propiores Cercetae, quorum nomen ad „Tscherkessen," quos nos vocamus adsonat[2]).

De oppidis populisque regni quoniam satis dixisse mihi videor, iam transeo ad res externas explicandas, ac primum quidem paucis de orgine et consociatione civitatium loquar, tum res a Spartocidis gestas planius exponam.

Ad oras illas Ponti coloniis ornandas Graeci commovebantur praeclarissima commercii condicione. Supra oras enim Scythae terras obtinebant, gens nomadum bellorum iniuriarumque non nimis avida neque a commerciorum consuetudine abhorrens, qui ut opera artificiosiora Graecorum magni aestimabant, ita ipsi terrae fruges et materias artificum plurimas producebant. Namque planities eorum vastissimae plerumqne agros ad colendum maxime idoneos praebebant, ut terra Bosporana, quae quamvis male culta tricena semina ferebat[3]). Tum nonnullae orae partes silvis densissimis opacae erant velut Scythia quae dicebatur *ὑλαία*[4]), et montes Taurorum. Unde coloniae Ponticae porro ad occidentem versus sitae arborum inopes trabes adportabant. Huc accedebat, quod Graecorum merces paullatim a populis mediterraneis mutuo commercio usque ad Baltici maris oras portabantur aliaeque retrorsum, quandoquidem nummi Graeci illic inveniuntur[5]). Aliae autem viae ad oram illam Ponti ex interiore Asia ferebant, ut videtur

---

1) Her. IV 21.
2) Müller, Geogr. Gr. min. ad Scyl. 73.
3) Strab. VII 311.
4) Her. IV 18.
5) Perrot l. l. p. 25.

ex montibus Sibiricis et Bactricis[1]). Contra, ut emporia terrae continenti propinqua, ita loci natura munita erant, velut isthmis montibus lacubus. Nec non venti navigando opportuni erant. Vere enim paene sempiterni Africi, auctumno autem aquilones ex Sibiria flant[2]). Itaque fortasse iam olim Phoenices Pontum intraverant, quod Hultsch[3]), metris Phoeniciis in Ponti populis aliquando usitatis probare studet. Tum Cares in illas regiones naves adpulisse traditur. Plinius quidem de Tanaidis ostio haec narrat: „tenuere finitima primi Cares, dein Clazomenii et Maeones, postea Panticapenses[4]). Ionicae igitur Asiae civitates corroboratae Carum hereditatem excipiebant. Ac diu illis locis vicos piscatorum et negotiatorum fuisse verisimile est. Postremo coloniae maiores illuc deducebantur, simulac res domesticae delapsae erant diuturnis cum Lydis bellis, dominatione Persarum, discordiis civilibus atrocissimis maxime Mileti exortis[5]). Multi iam cogebantur novas sedes quaerere. Itaque ex medio saeculo sexto maiores coloniae Graecorum in Bosporo Cimmerio condebatur, cum aliae Ponti orae iam antea coloniis frequentes essent. Sed certi anni non noti sunt, neglectis iis, quae de Aeete Colchidis rege fabulosa a Stephano Byz. traduntur. Phanagoria autem a Phanagora Teio condita esse fertur Persarum ducem Herpagum fugiente, id est circa annum 550[6]). Unde Boeckh Latyschev coniecerunt Panticapaeum urbem non recentiorem fuisse utpote quae ab Ammiano[7]) „velut mater omnium“, a Strabone[8]) *μητρόπολις τῶν Βοσπορισνῶν* diceretur. At Ammiani verbis non cogimur, ut ceteris antiquiorem illam

1) cf. Niese, Gesch. d. griech. u. maked. Staaten p. 409.

2) cf. Perrot l. l. p. 12. 28. — Reichardt, Landeskunde von Skythien diss. Hal. 1889. p 64.

3) Metrologie p, 574.

4) N. H. VI 7.

5) Her. V 28 sq.

6) Eusthat. ad. Perieg. v. 552. cf. Scymn. 887.

7) XXII 8[26].

8) VII 309 cf. Steph. Byz. s. v.

urbem iudicemus; Strabonis autem aetate num μητρόπολις iam ea dicta sit, quae finitimarum civitatium maxima fuit, non audeo diiudicare. Milesios autem illam urbem condidisse ut alias plerasque, complures autores tradunt[1]). Quamquam Neumanii ex opinione[2]) multo antiquior est, cum a Mileti colonis aucta tantum sit. Quod probari nomine barbaro. Atque est quidem barbarum, quamvis postea cum Pane deo coniungi coeptum sit. Vide in nummis Panis imaginem frequentissimam esse, quamquam Phanagoriae quoque in nummis exstat[3]). Fieri potest, ut locus peropportunus iam ante a Scythis habitatus sit, etiam antiquum Graecorum nautarum refugium fuerit. Tamen ipsa origo a Milesiis demum computanda est. A Panticapaitis alia oppida condita sunt, ut Cimmerium[4]) et Tanais[5]). Praeterea Jonicae coloniae vocantur Hermonassa prope Phanagoriam sita ac Theudosia, quae dicitur παλαιὰ ἑλλὰς πόλις τῶν Μιλησίων ἄποικος[6]). Omnes igitur Bospori civitates Jonum fuisse videntur. Quod probatur titulorum verbis Jonicis. Quin etiam priscae Ἰάδος vestigia remanserunt. Conferas, quae Boeckh attulit p. 107 sqq. Titulus autem amphorae CIG 2121 miras voces exhibet ἐπὶ Καλλία Εὀπάμονος. Quas formas quamquam Boeckh Jonicas esse demonstrare vult — ad Εο- confer etiam Αὀτοκλῆος Lat. 140 Εὀρυνόμο 288 (Heracleotae civis) Λεόκωνος 297 (Paphlagonis)[7]) —, tamen titulos alia de causa suspicitur. Nec non Boeckh alio loco sibi persuadet amphoram aliunde importatam esse[8]). Plerum-

1) Amm. l. l. — Strab. VII. 310. — Plin. N. H. IV 26 cf. VI 6,

2) l. l. p. 480.

3) Mionnet, Déscription I 347 sq. II 333.

4) Anon. Per. P. E. § 48. Scymn. 898.

5) Strab. XI 493.

6) Anon, Per. P. E. § 51.

7) Ceterum litterae αο, εο pro αυ, ευ scriptae etiam alias occurrunt idque omnibus aetatibus et saepissime in Ionum civitatibus. Cf. G. Meyer. Gr. Gr. § 117 sq. Forma genetivi — ᾱ autem frequentissima est velut in titulis ansarum Cnidiarum cf. Collitz-Bechtel, Insch. v. Knidos (v. i.).

8) ad CIG II 2008.

que autem dialectus est κοινή in Graecia orientali usitata, cum tituli multo plurimi quarto saeculo non antiquiores sint. Tamen singulae formae Jonicae diu tenentur — ut semper nomen urbis Θευδοσίη — saepius miro quodam modo cum communibus in uno titulo mixtae. Doricae autem formae praeter nomina propria non nisi in inscriptionibus poëticis exstant[1]). Postremo magis magisque soloecismi qui vocantur invadunt[2]), sine dubio barbarorum immigrationem sequentes, quoniam nomina quoque barbara frequentissima fiunt. Idem invenimus in omnibus Ponti septentrionalis coloniis.

Singulae civitates non est dubium, quin aliquando suos quaeque magistratus imperiumque habuerint. Sed rebus undique infestis ad consociandas opes brevi commoverentur necesse erat. Primum enim pericula a barbaris imminebant. Quamquam enim Scythae, qui qnidem propinqui erant, plerumque amicitias Bosporanorum fovebant, tamen agmina eorum circumvaga indomitaque occasione data a rapinis manus semper abstinuisse non est verisimile. In Asia vero equitabant in finitimis Sarmatae Maitaeque, gentes efferatae et latrocinandi avidissimae, ac mare piratae Taurici et Caucasii sollicitabant. Deinde ut commercium amplificaretur, maioris intererat ex animo concordi et amico agiquam invidia mutua pretium mercium deminui. Potentissimae autem civitates erant Panticapaeum, tum Theudosia et Phanagoria. Sed Theudosia suum commercium habebat cum Scythis Taurisque finitimis, cum ceterae magis ad Maitidem eiusque oras spectarent. Ideo hae circa capita illa, Panticapaeum et Phanagoriam, se coniungebant Theudosia sola remanente. De legibus autem societatis nihil notum est, sed licet conicere caput fuisse Panticapaeum ac gentem ibi summam rerum tenentem in ceteris quoque civitatibus praevaluisse, cuius imperii Spartocidae heredes exstiterint. Tum minime verisimile est omnes civitates Bosporanas foedus illud fecisse. Etenim Spartocidarum aetate foedus non tale erat, neque quicquam traditum est vi atque armis eos foedus amplificare studuisse,

1) cf. Lat. II index p. 336.
2) cf. Boeckh l. l.

quod certe fecissent, si ius illud hereditate quasi accepissent.

Sed ante Spartocidarum gentem in Bosporo summam rerum tenebant Archeanactidae. Quos Diodorus[1]), qui unus eorum mentionem facit, *βασιλεύσαντας* vocat, tamen non est dubium, quin archontum nomine audiverint, quod postea in Spartocidas transierit. Quae de eorum origine viri docti coniecerint, vide apud Boeckhium et Latyschevium.

Quibus Archeanactidis anno 438 Spartocum in imperio successisse Diodorus loco laudato tradit. Cuius familia cum ad Bospori res augendas plurimum contulerit, institui res eius aetatis planius exponere.

Primum illius familiae regem Diodorus Spartacum vocat. Sed dubitandum non est, quin Spartocus vera nominis forma fuerit testibus titulis et nummis. Ouod nomen cum non Graecae orginis esse videatur, Boeckh aliique Thracicum esse statuunt[2]). Nec non alia illius familiae nomina barbara sunt, ut Paerisadis, Comosaryes, Seleuci, quamquam hoc Macedonicum inde ab Alexandri aetate apud meros Graecos frequentissimum est, vulgatum a regibus diadochis eo nomine praeditis. Barbara autem nomina quamquam in illis regionibus sicut in aliis Graecis quoque indita esse notum est, tamen iam antiqua illa aetate tam frequentia in illa gente fuisse iure mirabimur. Porro memorare fortasse operae est pretium, saepius filios maximos natu heredesque imperii barbaris nominibus audivisse, Graecis filios minores. Nescio deinde an aliquid pensi habeat, quod rex Bospori priscus, cuius imagines in tumulo quodam revelato complures snnt repertae, semper naso admodum adunco praeditus fictus est[3]), id quod Graecam originem dissuadet. Nec non Chrysippi testimonium adferens Strabo[4]) Leuconem, unum

1) XII 31.

2) cf. Perrot l. l. p. 33 sqq. — Schäfer, Demosthenes und seine Zeit II ed. I 268.

3) Neumann l. l. 513 sqq. Antiquités du Bosphore Cimmérien pl. XXIII.

4) VII 301.

de Spardocidis, barbaris adnumerare videtur, cum dicit de miti Scytharum ingenio. Quae cum ita sint, malim illorum virorum, qui Bospori regibus barbaram originem vindicant, sententias sequi, quamquam negare non possum Thracicam Spartocidarum originem minime esse certam. Quomodo tum putandi sint in Bosporo imperio potiti esse, Perrot his verbis illustrat: „Spartocos doit être un condottiere thrace, que ses talents de général, son prestige et la confiance des troupes auront désigné dans un moment de péril, comme seul capable de sauver l'état". Thracicis autem mercenariis postea quoque Graecos illos usos esse constat. Erant enim commercio maxime operam navantes ditiores quam bellicosiores, quam ob rem mercenariorum militia semper apud eos floruit. Circa medium autem saeculum quintum res in Ponto difficillimae videntur fuisse. Nec non Athenienses eodem tempore expeditionem Ponticam temptaverunt [1]). Archeanactidarum verum opes tum non floruisse statuendum est, quo factum est ut mercenariorum ducem fortissimum rerum potiri ab omnibus probaretur. Ipsa igitur illa de Thracica Spartoci origine coniectura nihil habet, cur eam reiciamus. Regnavit autem Spartocus Diodori testimonio [2]) *δεκαεπτά* annos, quod iam a Casaubono, Dindorfio aliis mutatum est in *ἑπτά* ex priore illo loco, scilicet ab archonte Theodoro (438/7) usque ad Apseudem (432/1).

Sequitur eum Diodoro teste Seleucus, qui quattuor annos regnavit (lectio vulgata). Quod Seleuci nomen Niese [3]) iudicat corruptelam esse et Spartoco illi primo statim successisse Satyrum, quem Diodorus vocet *Σπαρτάκου υἱόν* [4]). Sed nisi Niese pluribus argumentis utitur, quam hoc, quod adtulit, res minus mihi probatur maxime eam ob causam, quia ingentes quidam numeri annorum regnandi exsistunt. Etenim regnavisset Satyrus avus quadraginta quin-

1) Plut. Per. 20.
2) XII 36 cf. XII 31.
3) Gesch. d. griech. u. maked. Staaten seit Alex. p. 413 Anm.
4) XIV 93.

que, pater Leuco quadraginta, Paerisades filius duodequadraginta annos, tria igitur genera centum viginti tres annos ab anno 432/1 usque ad 310/9. At sumpsitne Niese argumentum ex lacuna inter Diodori reges ingressa? Namque Diodorus post Seleucum nullum nominat, sed anno 393, quattuordecim annos imperio functum (lectio vulgata) id est ab anno 407, mortuum esse Satyrum *Σπαρτάκου υἱόν*. Inter annos igitur 428/7 et 407 regum nomina desunt, sed est inter eos Spartocus Satyri pater. Neque a vero multum aberrabimus Spartocum II ab anno 428/7 usque ad annum 407 regnavisse rati[1]). Lacunam autem in Diodori historia, quae ad illas res tam remotas absconditasque pertineat, omissa librariorum neglegentia intercedere potuisse non incredibile est prae modo compilatorio, quo ille libros suos confecit.

Sed alterum est quod difficultatem sane magnam excitet. Codex enim P(atmius), cuius autoritatem Vogel primus pluris aestimat in editione Dindorfii denuo curata, prorsus alios numeros exhibet. Secundum quem Spartoco successit Seleucus, qui regnavit annos quadraginta 432/1 – 392/1 (XII 36). Contra anno 393 moritur Satyrus *ὁ Σπαρτάκου* post regnum annorum quadraginta quattuor 437—393 (XIV 93). Hunc numerum corrigit Vogel in quadraginta. Sedne ita quidem loca inter se congruunt, etiamsi „Seleucum" illum per errorem scriptum esse pro Satyro putaveris. Namque ex priore loco Satyrus regnavit 432/1—392/1, ex altero 433—393. Atqui si Vogel ipse numeros codicis corrigere audet, nihil video, cur nobis quoque corrigere non licaet. Adde, quod Vogel ipse concessit scriptorem codicis illius parum diligentiae adhibuisse[2]). Cum autem de Seleuci nomine utraque classis codicum, et P. et reliqui consentiant, de numeris autem discrepantia sit, meliore iure numeros corrigere licere iudico. Equidem igitur priore loco „quadraginta" corrigo in „quattuor", alteri codicum

1) idem Latyschev.

2) II p. XIV. III p. V not.

classi fidem habens. De altero loco duae rationes iuvant. Aut numerus retinendus, sed aliter intellegendus est. Anni enim illi quadraginta quattuor (437—393) non sunt regis Satyri, sed omnium Spartocidarum, qui usque eo fuerunt. Fortasse talis numeratio, quae nescio an errore Diodori irrepserit (vide, quae supra de numeris ex tabellis a Diodoro petitis dixerim) alium quendam adduxit, ut verum Satyri regis numerum quattuordecim corrigeret. Quae coniectura si cui displiceat, etiam aliud probabile est. Etenim altero quoque loco numerus *τετταράκοντα τέτταρα* a librario „parum diligenti" per errorem scriptus esse potest pro *δεκατέτταρα*, quia in versu sequente numerus Leuconis *τετταράκοντα* oculos eius fefellit. Quod si probatur, codex P. utrimque deteriorem scripturam exhibet. — Ceterum si Diodori annus 393, quem falsum esse posthac videbimus, ita mutari posset, ut rectus numerus 387 apud Diodorum quoque restitueretur, non dubitarem utrisque locis illis annos quadraginta quattuor probare et Satyrum statim post Spartocum I regnasse iudicare annis 431—387, atque „Seleucum" illum ipse quoque corruptelam esse existimarem, quamvis in magno annorum numero offenderem. — Fines regni sub primis Spartocidis, Spartoco I Seleuco Spartoco II iidem videntur fuisse, qui antea, idest, maiorem partem civitatium Bosporanarum amplectebantur, exceptis Theudosia nonnullisque minoribus ad fretum sitis. Neque enim animum inducere iis licebat finitima conquirere, quoniam res internae non satis tutae erant. Exsistebant certe brevi, qui obliviscerentur, quanta gratia Spartocidis referenda esset pro rebus in periculis illis bene gestis, atque iam aegre unius dominationem sustinentes rerum novarum cupidi fierent. Sed reges vehementissime de iis consulebant quia, ut barbari a regni finibus prohiberentur, concordia intestina maxime opus erat. Cives enim turbulenti urbe expulsi sunt, sed Theudosiam prope sitam se contulerunt[1]),

1) Anon. Per. P. E. § 51 (Müller Geog. Gr. min.)

qua ex re novum et semper imminens periculum illis ortum est. Talem autem Bospori tum condicionem internam fuisse inde sequitur, quod proximo Spartocidae, Satyro, cum Theudosia res est atque verba anonymi, Theudosiae exsules Bosporanos consedisse, aliter intellegi nequeunt. Postea enim Theudosia semper regni Bosporani ipsius erat, exsules igitur locum nullum ibi habebant. Illius autem modi discordiis cives expulsos esse patet: si minus, qua alia de causa factum est, ut tot illuc convenirent? — Satyrus autem quos per annos regnaverit dubium est. Diodorus quidem mortuum eum esse adfirmat anno 393 post regnum quattuordecim annorum. Quem secutum esse filium Leuconem, qui per annos quadraginta imperium obtinuerit, (393—353)[1]), ac tam Leuconis filium Spartocum qui mortuus sit quique annis post (348)[2]), denique Spartoci fratrem Paerisadem usque ad annum 310/9[3]). At hi numeri falsi videntur esse. Pugnat cum iis inscriptio Attica Sylloges 101, (Dittenberger) quae est anni 346 idque mensis Aprilis vel Maii[4]). Atque haec indicat: Leuconi patri mortuo Spartocus et Paerisades successerunt legatosque Athenas miserunt, ut amicitiam pristinam renovantes veniam peterent mercenarios conducendi. Num id factum esse potest sex vel septem demum annis post Leuconis mortem? Immo vero ille nuperrime e vita decessit, et cum hieme ex Ponto navigari non liceret, annum mortis 347 esse statuendum est. Adde quod Spartocus et Paerisades una agunt neque tertio fratre Apollonio adhibito[5]). Errorem Diodori Schaefer vidit et optime dissolvit[6]). Existimavit enim ille, Paerisadem post Spartocum regnasse, cum re vera iisdem temporibus regno fungeretur, quot ex titulo illo plane elucet. Accedit

1) XIV 90. 93. XVI 28. 31.
2) XVI 52.
3) XX 22.
4) Rhein. Mus. 33 423 sqq. (Schäfer).
5) Syll. 101 v. 65 sqq.
6) Rhein. Mus. 33 418 sqq.

alius titulus Bosporanus [1]), ubi Paerisades dominus tantum Theudosiae Sindorumque nominatur, non Bospori [2]). Quot igitur annis numeri illi 353 et 348/7 differunt, tot Spartocus et Paerisades simul regnaverunt. Ac quinque Spartoci annos a Diodori annis detrahi oportet. Habemus haec: Satyrus I regnavit usque ad annum 388/7 Leuco I 388/7—348/7, Spartocus III et Paerisades 348/7—343/2. In his memorandum est, Graecos annos cum nostris non coincidere, ex qua re parvae differentiae existere possunt. Atqui Diodori errorem etiam Satyri annos turbasse, non solum Leuconis, Satyrum igitur plusquam quattuordecim annos regnavisse non est, qui neget. Neque enim fieri potest, ut illum numerum tenentes posterius eum regnum suscepisse putemus [3]): nam circa annum 405 eum regnasse sequitur ex Lysiae oratione [4]): Mantitheus a patre ad Satyrum *τὸν ἐν τῷ Πόντῳ* mittitur *πρὸ τῆς ἐν Ἑλλησπόντῳ συμφορᾶς*, ante pugnam igitur ad Aegospotamos commissam, quae fuit anno 405. Deinde annus Satyri mortui posterior probari videtur Isocratis oratione Trapezitica anno 394 scripta. Nam cum extremis Satyri annis res Bospori in summum discrimen adductae sint bello Sarmatarum, bello autem Theudosiano, ad quod Isocrates spectat, non adeo turbatae sint, quod infra videbimus, ea, quae Isocrates de consuetudine Atheniensium cum Satyro frequenti dicitin his, Satyrum „adhuc“ Athenienses beneficiis adficere — talem Bospori condicionem comprobant, ubi bellum Theudosianum iam exortum erat, Sarmatarum nondum. Hoc autem diutius quam unum per annum flagrabat. Ergo Satyrum pluribus annis post orationem illam scriptam mortuum esse patet.

De Satyri rebus gestis aliquanto plus traditum est. Primo res erant difficillimae. A tergo enim, ut diximus, exules instabant et civitas aemula, invidiae nocendique aviditatis plena.

---

1) Lat II 8.

2) cf. Rhein. Mus. 38 310.

3) Busolt, Gr. Gesch. II 541.

4) pro Mant. XVI. § 4.

Ac ne in se ipso quidem regnum continebatur, propterea quod complures civitates Bospori, Nymphaeum [1]), Cimmerium Patraeus [2]), Atheniensibus parebant sine dubio ex expeditione Pontica Periclis [3]), quam illi fecerant ad rem frumentariam firmandam, quandoquidem frumento ex Ponto advecto Atheniensibus semper maxime opus erat. Quem frumenti fontem muniri volebant castellis illis sub ditionem redactis. Tabulae auten illae, quibus tributa Nymphaeensium Cimmeriorum Patraeensium recenseri videntur, ex anno 424 sunt, Nymphaeum etiam exeunte bello Peloponnesiaco Atheniensium fuisse Aeschinis verba probant. Num autem omnes illae tres civitates per aetatem, quam diximus, sub eorum ditione fuerint, incertum quidem est, sed probabile [4]). Quamquam Athenienses Bosporo non ita pericula minabantur, cum et ipsi gravissimo bello intenti essent et Spartocidae semper id agerent, ut cum Atheniensibus pacem et amicitiam gererent [5]), aut ea lege, ut societate et foedere cum iis iuncto opes suae fulcirentur, aut ut honoribus ab eorum civitate amplissima acceptis coram barbaris autoritate crescerent, imprimis autem, ut commercia augerent. Quae si florebant, Bosporanos contentos futuros esse necesse erat. Sed illa Satyri, fortasse etiam eius regis, qui antecessit, aetate civitates illae dominos commutaverunt. Bello enim Peloponnesiaco cum res Atheniensium collaberentur, fieri non poterat, ut provinciae illae longissime remotae diutius tenerentur. Ubi maritima Atheniensium dominatio fracta erat, non iam pecuniis militibus castella illa firmari poterant. Atque Gylon, si quidem in Aeschinis adversus Demosthenem opprobriis aliquid veri inesse putandum est, Demosthenis

---

1) Harpocratrio s. v. — Aesch. c. Ctes. § 171.

2) C I A I 37 (ex coniectura).

3) Plut Per. 20 — cf. Perrot l. l. p. 30. Duncker, Abh. d. Berl. Akad. 1885 p. 544 ff. (anno 444).

4) Dunker, l. l. putat Athenienses anno demum 424 civitates Ponticas recensere conatos esse.

5) Isocr. Trapez.

avus, qui tum Nymphaeo praeerat, condicione perspecta praestare putabat, si milites sui domi urbem defenderent. Tradidit castellum regi Bospori amico, cum ipse Athenas proficisceretur[1]). Eodem modo cetera oppida tradita esse videntur, nisi iam antea remissa sunt. At Atheniensibus Gylonis consilium displicebat. Reus factus in Bosporum refugit, ubi rex pro bono animo gratiam ei habens Cepos oppidum donavit. Quibus castellis occupatis quartus Spartocida, Satyrus, Theudosiam exsulum refugium expugnare molitus est. Bellum erat gravissimum, cum Satyrus transfugas quoque suspicaretur. Velut Sopaeus quidam, summus eius legatus, in suspicinem incidit regi insidias et defectionem parare, ad quod impetrandum filium, qui re vera Athenas visendi causa profectus erat, Theudosiam ad exsules misisset[2]). Quamquam brevi et patris et filii innocentia plane eluxit. Atque rex filiam Sopaei suo filio (*τῷ υἱεῖ*) in matrimonium dedit, quem filium Schäfer[3]) temere Leuconem fuisse iudicat. De quibus nuptiis certi nihil scimus nec multum damni est. Bellum autem illud ducebatur, praesertim cum Theudosia ab Heracleotis adiuvaretur. Quin etiam dolo eorum soluta aliquando oppugnatio est, cum Tynnichus Heracleota noctu tubicines nonnullos in singulas scaphas dipertitos dato signo universos tubis canere iuberet, unde Bosporani suspicabantur magnas copias ad Theudosiam obsidione liberandam advenire, quas metuentes oppido recesserunt[4]). Quam Polyaeni narrationem ad Satyri aetatem pertinere, etsi disertis verbis non est memoratum, tamen vix negandum esse puto, quamquam sunt qui multo recentioris aetatis eam esse existiment. Etenim quando Bosporanis aliis temporibus Theudosia oppugnanda fuit? Atque id, quod posthac narrabitur eodem Polyaeno

1) Aesch. c. Ctes. § 171 sq. — Idem censuerunt Grote, Gesch. Griechenl., übers. v. Meisner VI 211, 804. Schäfer, l. l. II cap. 1.

2) Isocr. Trapez. §8 sqq.

3) Rhein. Mus. 33 428 cf. Isocr. l. l. § 11.

4) Polyaen. V 23.

teste, Leuconem cum Heracleotis pugnavisse, maxime probare mihi videtur hanc fuisse illam cum Heracleotis Theudosiam adiuvantibus inimicitiam. Quas Polyaeni narrationes Melber (l. l. p. 584. 647. 649) ex optimis fideque dignis auctoribus sumptas esse putat. — Neque vero contigit Satyro, ut Theudosiam caperet. Nam ne hoc quidem bellum periculosissimum, ut volebat, tractare poterat, quod opes eius alio quoque loco restringebantur labefactabanturque. Hecataeus enim Sindorum rex a barbaris finitimis regno expulsus a Satyro auxilium petierat, quod is non recusaverat. Vi et armis eum reduxit, qua re autoritatem eius iam tum in Sindis maximam exstitisse patet. Sed ut ipse aut filii, si fors esset, regis illius etiam heredes fierent, coëgit Hecataeum, ut filiam suam in matrimonium duceret. Erat autem Hecataei iam uxor, Tirgatao regis filia Jaxamatum. Quam trucidari Satyrus iussit. Sed Hecataeus magis eam amavit, quam ut iussum sequeretur, atque in vinculaeam conici satis esse existimavit. Quibus clam dissolutis Tirgatao maximis cum laboribus, quamvis Satyrus et Hecataeus acerrime eam persequerentnr, in patriam suam effugit, ubi regem, qui tum Jaxamatum erat, Veneris donis sibi adstrinxit impulitque, ut illis bellum inferret. Sarmatarum equites totos Sindorum et Satyri fines rapinis impleverunt neque ante abscedebant, quam uterque pacem petiit obsidesque se daturum esse promisit. Dedit Satyrus Metrodorum filium pro ambobus — vide, quantopere Hecataeus iam Bosporano regno adnumeratus sit. Nec non tributa pendenda fuisse consentaneum est. Quibus a curis Satyrus liberare se cupiens barbaros regina Tirgatao interempta turbare conatus est. Sed cum sicarii ictus zona reginae impeditus esset, tormentis adhibitis insidiae apertae sunt. Atque Tirgatao obside necato bellum redintegravit rapinis et caedibus omnia miscens. Interea Satyrus supremum diem obiit, Polyaeno autore ἀϑυμήσας, id est dolore sive filii amissi sive regni assidue laborantis perculsus. Gorgippus autem alter filius supplex a regina regnum accepit.[1]). Atqui ab

1) Polyaen. VIII 55.

Harpocratione[1]) et Demosthenis scholiasta[2]) Satyrus Theudosiam oppugnans mortuus esse fertur. Unde conicere licet bella cum Theudosianis et cum Sarmatis simul gesta esse, idque ante ipsam Satyri mortem. Esse autem eum mortuum ob dolorem filii interfecti, quem sua culpa amiserat, atque cum duo ei remanerent, minus mihi probatur ut res poëtae fabulis eleganter ornata. Theudosiae igitur in obsidione cum vita decessisset, tumulus ei exstructus est in Asiatica Bospori Cimmerii ora iuxta Patraeum[3]), si quidem Strabonis verba ad hunc Satyrum spectant. Noli mirari Panticapaei, in ipso regni capite, eum non esse sepultum, quandoquidem etiam aliis locis undique conspicuis tumuli regii erant, velut Comosaryes, qui est etiam magis ad orientem versus. Deinde non est dubium, quin utrumque illud bellum simul geri potuerit. Neque enim assiduum Sarmatas bellum gessisse mihi persuasum habeo. Ut mos eorum erat, equitum turmae repente hostium terram ingressae non minus cito discedebant rapinis et clade facta. Per se autem constat expeditiones eorum fretum non transiisse; immo regiones Asiae praecipue Sindorum, manibus eorum proditas fuisse. Iis autem temporibus, quibus Sarmatae expeditiones, quas prohibere Satyrus nequibat, non faciebant, cum Theudosia bellare perrexit, donec subito mortuus est. — Sed una res difiicilior etiam tractanda est. Diximus enim ex Polyaeni testimonio Gorgippum post Satyri mortem regem factum esse. Diodorus autem titulique tradiderunt Leuconem filium Satyro successisse. Sed iam primum inscriptiones nobis auxilio sunt. Titulo enim Lat. 343 Leuco Satyri filius Bospori et Theudosiae tantum princeps vocatur, cum alias semper complures populi barbari regno subiecti adiungantur. Hoc si cum Polyaeni narratione componimus, tenebrae evanescunt. Gorgippus, si ab regina Sarmatarum victrice precibus pacata regnum quoddam accepit, nihil accipere poterat nisi quod regina habebat:

1) s. v. Θευδοσία.
2) ad. Dem. c. Lept. § 27.
3) Strab. XI 494.

Sindorum fines, fortasse nonnullos Asiaticae Bospori plagas. Contra in ipsa Bosporo hereditatis lege summa rerum potitus est filius maximus natu. Leuco. Neque etiam suspicari licet reginam illam hosti devicto rem integram restituisse ac Bosporum Sindorumque fines sub eius unius manu consociari sivisse. Adde oppidum Gorgippiae, quae regia fuit in Sindis, nummosque Gorgippensium. Boeckh autem omnia ille, quae Polyaenus narrat, non ad Satyrum de quo diximus pertinere ratus est, maxime propterea quod a Dinarcho Gorgippus eodem modo quo Paerisades huiusque filius Satyrus *ἐκ τοῦ Πόντου τύραννος* dicitur[1]). Atqui Paerisades filiusque etiam Dinarchi aetate vivebant: Gorgippum quoque tum vivum fuisse Boeckh collegit. Ergo illius Satyri filium Gorgippum non fuisse. At minime id statuere cogimur. Dinarchus enim Demosthenis integritatem in suspicionem vocare studet rebus odiose compositis. Erant autem Demosthene suadente statuae Bosporanorum principum in foro positae nec minus ex Bosporo Demosthene curante frumenta apportabantur. Sed nimis premuntur verba Dinarchi, si verba *παρ᾽ ὧν* aequa ratione ad tres illos principes cunctos trahuntur, quandoquidem ne Satyrus quidem sui iuris erat neque alia de causa honorabatur quam quod familiae vinculis cum Paerisade rege artius cohaerebat. Ceterum de calumnia illa conferas, quae Schäfer dixerit. Adde quod titulo Lat. 346 in honorando Paerisade idem Gorgippus nominatur ut pater Comosaryes, socer Paerisadis. Itaque non est, cur dubitemus, quin hic Gorgippus fuerit ille Satyri filius, Leuconis frater, Paerisadis patruus. Diodorus autem quod nihil de Gorgippo narraverit, non est mirum propter exilitatem eorum, quae de regum ordine tradidit, praesertim cum Gorgippus ex lateribus Bosporanorum regum cognatus fuerit et paucos solum per annos regnavisse videatur. Iam ubi primum tituli adhibentur,

---

1) c. Dem. § 43: *προῖκα* Demosthenem non curasse *τὸ χαλκοῦς ἐν ἀγορᾷ στῆσαι Παιρισάδην καὶ Σάτυρον καὶ Γόργιππον τοὺς ἐκ τοῦ Πόντου τυράννους, παρ᾽ ὧν αὐτῷ χίλιοι μέδιμνοι τοῦ ἐνιαυτοῦ πυρῶν ἀποστέλλονται.*

liceat mihi breviter memorare Spartocidas semper iis nominari ἄρχοντας Bospori et Theudosiae, βαριλεύοντας Sindorum ceterorumque. Quamquam de Leucone hoc traditum est primo, tamen non dubito, quin priores quoque archontum denominatione gavisi sint excepto scilicet Theudosiae imperio, quamdiu ea civitas nondum subacta erat. Neque aliter Archeanactidae.

In Bosporo igitur regi Satyro mortuo filius maximus natu Leuco successit (387—347). Is hereditate quadam cum maiore Bospori parte accepit bellum Theudosianum et spem Sindorum fines acquirendi. Illud quidem acerrime gessit viribus non iam diductis atque cepit Theudosiam [1]), quamvis etiam tum ab Heracleotis adiutam. Nec dubium est, quin civitatem proscriptionibus aut exsiliis penitus purgaverit, propterea quod post inimicitiae ibi ortae non traduntur neque Leuco crudelitatibus necessariis abhorrebat (v. infra). Ceterum Demosthenes tradit eum Theudosia capta emporium ibi ixstruxisse. Secundum anonymi autem Peripl. P. Eux. oppidum illud est παλαιὰ ἑλλὰς πόλις τῶν Μιλησίων ἄποικος, atque scholiastae ad Demosthenem verba sunt: τὸ μὲν ὄνομα τῷ ἐμπορίῳ ἢ ἀπὸ τῆς ἀδελφῆς ἢ ἀπὸ τῆς γαμετῆς· διαφωνεῖται γάρ [2]). Statuendum igitur est oppidum iam antiquius fuisse, fortasse Panticapaeo aequale, et admodum validum, quod cum Bosporo diu certabat. Sed nomen antiquum non est notum. Tum Bosporano regno subiectum oppidum commercio transmarino aperitur, ad quod adipiscendum portus eiusque fora amplificarentur necesse erat. Iam exsistebat emporium Atheniensium navibus aptum, ex quo ii iisdem commodis fruebantur Theudosiae quibus Panticapaei. Illuc Demosthenis illud προςκατασκευάσας spectat. Ac simnl cum oppido aucto Leuco novum ei nomen indidit Theudosiae. Ceterum Leucone regnante Theodosius quidam in Bosporo multum valebat auctoritate ex inscriptione Attica [3]). — Sed alterum

1) Dem. c. Lep. § 27. c. schol.

2) cf. Boeckh CIG II. p. 96.

3) Dittenberger, Sylloge 101, 50.

bellum subsequebatur cum Heraclea Pontica gestum[1]). Heracleotae, qui ex bello Theudosiano etiam tum infesti fuisse videntur, usque eo naves ad oras Bosporanorum devastandi causa adpellere non desinebant, dum Leuco crudeli quadam astutia adhibita prospere eos prohibuit. Non multo post Gorgippus frater, Sindorum rex, vita decessit, cui Leuco successit testibus titulis[2]). Iam fundamenta exstructa erant Asiaticae provinciae atque ipse Leuco ad orientem versus fines propagavit Toretis Dandariis Psessis, populis Maitis, subactis. Quod ad Sarmatarum in Sindis potestatem attinet, iam antea vana sine dubio exstiterat, nec mirum hoc est, cum res Sarmatarum fluxae semper fuerint. — Extrema Leuconis aetate impetum minatus est Artaxerxis Ochi dux, qui in Asia erat, Memno[3]). Is Bospori condicionem opesque insidiis explorabat, cum legatos ad Leuconem mitteret, qui *περὶ φιλίας καὶ ξενίας* agerent, simul autem Aristonicum cantatorem, qui theatris arte sua completis quae esset civium multitudo declararet. Quam diu Memno in consilio Bosporo bellum inferendi steterit, non est notum. Namque quod apud Polyaenum sequitur strategema de pugnis Memnonis montanis infaustis, tum in plano prosperis, num ad Leuconem Bosporumque pertineat, valde est dubium atque Melber etiam negat (l. l. 647). — Latyschev Leuconem nondum anno 353 mortuum esse etiam eo probare studet, quod Demosthenes[4]) duces Persarum Memnonem et Mentorem anno 352 *ἀνθρώπους νέους* vocat. Atqui pugnasse eos cum Leucone. Ergo si hic iam anno 353 mortuus esset, illi tum admodum adulescentuli fuissent. Sed ut non amplius dicam de pugna Leuconis et Memnonis, Demosthenis verba premi non iustum est: nimis enim adulescentes non fuerunt, cum iam brevi post prospere a rege Persarum desciscerent[5]). — Leuconis igitur aetas rebus prosperis

1) Polyaen. VI 9, 3 sq. — Anon. (Aristot.) Oecon. 8 (Göttling).
2) Lat. 6. cf. 343.
3) Polyaen. V. 44.
4) c. Aristocr. § 157.
5) Diod. XVI 52.

abundabat. Unde magna gloria comparata posteris nominis Leuconidarum autor evasit[1]). Opus autem fuerat ad illa tot bella permultis mercenariis, quorum conducendorum causa cum nonnullis civitatibus exteris amicitias iunxit. Est quidem decretum Arcadum in Leuconis honorem factum, cuius initium: *ἔδοξεν τοῖς Ἀρκάσιν* . . . servatum est (Lat. 4). Sunt qui illud Arcadibus Peloponnesi abrogantes de oppido Cretensi cogitent verbis *τοῖς Ἀρκάσιν* sane memorabilibus adducti[2]). Quod non opus est, si titulus post annum 369 factus est, quo Arcades *κοινόν* iunxerunt. Nec non litteratura decreti ad illam aetatem quadrat[3]). — Deinde bella illa diuturna et Satyri et Leuconis sumptuosissima fuisse patet neque iam magnae pecuniae suppeditasse videntur, cum commercia bellis illis imminuerentur, Theudosiae emporium admodum recens esset, Sarmatarum expeditionibus partes Asiaticae vastatae essent. Quae cum ita sint, fidem fortasse haberi licet nonnullis rebus, quae de Leucone quodam Bosporano maxime a Polyaeno narrantur. Primum enim Leuco fertur morbo illi aerarii mederi studens et parsimoniae favens satellites quosdam aleis aliisque libidinibus nimium indulgentes munere privavisse *ἀμισθώτους*[4]). Deinde etiam parasse sibi pecunias mira quadam ratione. Jussisse enim omnes nummos civium sibi tradi simulans alios inde se cudere velle atque hos redditurum esse. Sed illos nummos novo tantum signaculo ornatos reddidit ea lege, ut dupplex valerent, quo dolo dimidium pecuniae Bosporanae sibi retinere poterat[5]). (Zwangskurs). At num talem nequitiam in Leucone fuisse statuendum sit, iure

1) Aelian. var. hist. VI 13.

2) Perrot l. l. p. 34 Anm. cf. Lat. Add. etcorrig.

3) cf. Dittenberger, Sylloge ad 99. — Rhein. Mus. 33 429 (Schäfer).

4) Aeneas Com. Poliorc. V 2.

5) Polyaen., VI 9. Ex hoc capite Melber putat §§ 1—2 non ita fide dignas esse, cum ex collectaneo quodam obscuriore haustae sint, maioris auctoritatis esse §§ 3—4, quae incertum an ex eodem fonte fluxerint, e quo V 44. l. l. p. 592. Ceterum Melber nullum nisi unum Leuconem Bosporanum novit.

dubitari potest, si patrem Leuconidarum respicimus. Sed erat Leuco quidam alter saeculo post, qui magis homo impius et nequam videtur fuisse. Ipsa autem Polyaeni illa narratio ulli suspicioni non videtur esse, conferre licet machinationes nummarias Dionysii Syracusani et Cypseli[1]), aliorumque posteriorum aetatum. — Ceterum Leuco commercio augendo eximie studebat, maxime amicitia erga Athenienses firmanda. Quam proavi eius iam coluerant[2]), cuius rei gratia civitate immuni ab Atheniensibus donati erant[3]). Intererat Atheniensium frumentum annuum ex Bosporo sibi adportari non desini, eoque magis, ubi dominatione maris debilitata aliae terrae iis clausae erant. Mutua igitur erant commoda Atheniensium et Bospori. Nec non Leuco civis Atheniensis est *ἀτελής*[4]), quod illis maxime favebat. Cum enim ab aliis tricesimam postularet, Atheniensium naves ea liberavit. Iam Satyrus iis permiserat, ut ante ceteros omnes frumentum emerent, qua re factum est, ut alii mercatores saepius infecta re discederent[5]). Idem ius Leuco iis dedit in Theudosiae emporio. Athenienses verum non semper pretium statim pendebant, quandoquidem filii Leuconis pecuniam diutius debitam poscere coguntur[6]). Tamen Leuco ab annonae inopia laborantes Athenienses etiam sua sponte frumento adiuvabat sine dubio minore pretio vendito[7]). – De Leuconis moribus optime iudicavit Chrysippus Stoicus[8]) et Dio Chrysostomus rhetor[9]), minus bene Athenaeus[10]), cum diceret contumelias et vim amicorum

---

1) Anon. (Aristot.) Oecon. 2. 21. (Göttling).
2) Isocr. Trapez. § 57.
3) Dem. c. Lept. § 25 (Wolf).
4) Dem. l. l. — Sylloge 101.
5) Isocr. Trap. l. l. -- Dem. l. l. § 27.
6) Sylloge 101 54 sqq.
7) Dem. l. l. § 27. — Strab. VII 311.
8) cf. Plut. de Stoic. rep. XX 3 — Strab VII 301.
9) II 101 R. *τῆς ἀρετῆς ἀγάμενος . . ἄγει πσὸς γῆρας καθάπερ ἀκούμεν . . . Λεύκωνα.*
10) VI 257 c.

eum concessisse, quod „tyrannis talibus viris opus esset“. Sed hoc meo iure dubito, an de Leucone I dictum sit. Melius enim quadrat ad Leuconem alterum. Quamquam acre et durum quoddam ingenium neque a crudelitate abhorrens Leuconis I fuisse non est negandum, si regni firmandi intererat. Polyaenus[1]) quidem haec narrat: Civili tumultu instante a mercatoribus alienis simulatione quadam pecuniam mutuam sumpsit. Qui eum defendere et tueri cogebantur ut pecuniam sibi servarent. Re prospere gesta rebelles a Leucone interficiuntur. — Deinde in bello cum Heracleotis gesto cum proditionem nonnullorum metueret, suspectos viros alia causa simulata domum dimisit ac beneficiis adfecit, quo tutos eos redderet. Confecto autem bello una cum cognatis sine iudicio occidit. — Denique eodem bello Scythas, quibus magis confidebat, post hoplitas, qui bellandi genere fessi minus alacres erant, collocatos illos a tergo interimere iussit, si languescerent. — Memor autem sis, quae ante dixerim de Leuconibus Bosporanis inter se saepius confusis. Quamquam quae belli Heracleotici sunt, ad Leuconem I me trahere malle iam supra ostendi: aliud iudico de tumultu civili. Fuisse enim; cur cives odio persequerentur Leuconem alterum, infra videbimus.

Leuconis tres erant filii, Spartocus Paerisades Apollonius. Inter priores regnum divisum est ea lege, ut Spartocus (III) Bosporum acciperet, Paerisades I Theudosiam et Maitas nuper pacatos. Novi autem reges primum legatos Athenas miserunt, qui pristinam amicitiam firmarent, pecunias debitas exposcerent, nautas conducerent, honores reportarent[2]). Sed ex divisione regni brevi detrimenta evaserunt. Maitae enim Leuconis morte et Paerisadis opibus minutis adducti deficere conabantur nec frustra. Huc accedit, quod circa illam aetatem in Sarmatis magnus ille motus exortus est, quo complura per saecula orae Ponticae concutiebantur.

1) VI 9, 2—4.
2) Sylloge 101.

Namque Scylacis testimonio[1]) Philippi aetate Sarmatae iam in Europaea Maitidis ora sedes collocaverant, cum antea Tanaide continerentur. Sequuntur diuturna cum Scythis bella prospera, donec saeculo tertio Sarmatae Olbiam usque procedunt. Quam procellam saepius regnum Bosporanum turbasse videbimus. Quis autem est qui neget, defectionem illam Maitarum cum Sarmartarum motu iungere licere? Atque si Polyaeni exilis de moribus Paerisadis narratio[2]) ad nostram aetatem spectat et aliquam fidem habet, hostes etiam imperium eius ingressi sunt, quandoquidem Paerisades antequam fugeret, vestem mutare solitus esse a Polyaeno dicitur. Num hoc in media acie faciebat? Omnino autem quomodo Maitae illa aetate adversus Bosporum se gesserint, hoc mihi constat. De Paerisade enim complures tituli nonnulla adferunt, quos Latyschev hoc ordine componit: 8.—344.—10. 11. 345.—346. 347. Atque inscriptionem 8 antiquissimam esse patet, quippe quae aetatem divisi regni indicet. Ceterarum autem aliae paucos tantum populos barbaros subiectos nominant, (344), aliae „omnes Maitas" (10. 11. 345), alia praeter hos Thatenses (346), alia etiam Doschos (347). Utrum autem regnum crevisse Paerisade regnante an deminutum esse statuamus? Crevisse illud negari videtur titulo 8, quod regno diviso Maitae quoque et Thatenses parent. Tamen amplificatio regni probatur eo, quod Paerisades a suis quasi deus colebatur[3]), ergo bona fortuna sine dubio fruebatur, deinde quod bello civili, quod inter filios eius exarsit, Gargaza oppidum Maitarum regni finibus includi videtur[4]). Verisimillimum igitur est inscriptionem illam 8 primis communis imperii annis scriptam esse, Thatenses autem longissime remotos, qui semper minus arte cum Bosporo coniuncti fuisse vide-

---

1) **Müller, Geogr. Gr. min. 1 58.**
2) **VII 37 Melber hoc strategema minimi aestimat p. 474.**
3) **Strab. VII 310.**
4) **Diod. XX 23.**

antur, id quod bellum illud civile non negat[1]), potentiam divisam atque minutam non iam metuentes ab imperio Bospori se liberasse, quos alii Maitae imitati sint. Paerisades autem postquam Spartocus frater quinque post annos mortuus est heredibus non relictis, opibus Bosporis coactis nihil antiquius habebat, quam ut Asianos populos denuo subigeret. Etenim fieri non poterat, ut Spartocidae illas regiones neglegerent, praesertim cum semper patroni Graecorum Ponticorum et esse et haberi vellent multaeque civitates Graecae ad orientem versus et sub radicibus Caucasi et piscatorum in ora Maitidis sitae essent. Ad occidentem autem litus Taurorum portuum inops, saxis scopulisque horridum Bosporanos restringebat et ab Cherronaso Heracleotica ipsa quoque potentiore intercludebat. Neque spes Paerisadem fefellit. Paullatim omnes populos Maitas sub ditionem redegit atque etiam porro Sarmatarum Thatenses et Doschos. Et iure dixit poëta epigrammatis, Paerisadem regnare *ὅσην χθόνα τέρμονες ἀκροί Ταύρων Καυκάσιός τ' ἐντὸς ἔχουσιν ὅροι*[2]). Accuratius autem nihil de iis pugnis est traditum. Demosthenes quidem[3]) aliquando narrat res regni dificiliores fuisse propter bellum *πρὸς τὸν Σκύθην* gestum. Quomodo id intellegendum sit, nescimus, cum etiam incertum sit, num vere Scythae fuerint. Namque illa aetate nomina Scytharum Sarmatarum Taurorum Graecis promiscua iam fuisse nisi distinctionem fieri pluris intererat, notum est. Sed fuit illud Demosthenis bellum periculosum, propterea quod mercatori Atheniensi ut merces venderet vix contigit. — Ceterum in pace Paerisades priores reges aemulabatur. Graecis identidem favit[4]), erga Athenienses amicitia eius eadem erat, iidemque quoque honores ei, Satyro filio maximo natu, Gorgippo socero tributi[5]). In

1) Diodori (XX 22) regem Thracum in regem Thatensium mutari oportere Boeckh iure statuit p. 102.

2) Lat. 9.

3) c. Phorm. § 8.

4) Lat. 1. 2.

5) Dem. c. Phorm. § 36. — Din c. Dem. § 43.

matrimonium duxerat Comosaryen, filiam ultimi principis Sindorum, Gorgippi e Spartocidis orti. Eo tutius Leuco pater arbitratus erat fore, ut hos fines possideret, si Comosarye, unica Gorgippi heres, suo filio nupsisset. Atque operae pretium est commemorare, eum filium, cui illa nupserat, provinciam Sindorum in regno partiendo sortitum esse. — Omnino Paerisades summa iustitia et sapientia regnasse videtur, quod Strabonis testimonio a civibus ὡς ϑεὸς νενόμισται. Certe eo regnante Bospori res optime florebant fortunaque cumulabatur. Accedit, ut Alexandri Macedonis morte praematura rixisque statim inter diadochos exortos impeditum sit, ne Macedonum regnum illas quoque plagas, quae in ora Ponti septentrionali inter Thraciam et Colchidem sitae erant, devoraret[1]), qua re factum esset, ut Bosporus quoque dimicationibus illis perpetuis implicaretur.

Sed statim post mortem Paerisadis (310/9) res Bosporanorum in summum discrimen adductae sunt, quod Diodorus planius exponit[2]). Erant enim tres filii, Satyrus, Prytanis, Eumelus. Regni autem partitionem periculosissimam esse Paerisades ipse expertus erat. Unum Satyrum II succedere iussit. Quod summopere displicebat Eumelo, viro fortissimmo honorisque cupidissimo atque idoneo, qui cupiditati satisfaceret. Qui nescio an priorem partitionem respiciens ipse quoque regnandi particeps fieri volebat, sed nequicquam. Vim adfectavit. Maitae autem semper turbulenti ac nuperrime pacati facile moveri posse videbantur. Eumelus igitur in Asiam profectus statim regulos quosdam sibi conciliavit, imprimis Aripharnem, Thatensium principem. Mirum cui videatur principem tum Thatensibus praefuisse, quoniam a Paerisade Thatenses subactos esse supra vidimus. Sed haec conicere licere puto: Paerisades regulum Thatensium expulerat, sed quandoquidem natio illa difficile compesci poterat, iam discordiis inter Bosporanos exortis et

1) cf. Niese, Gesch. d. griech. u. maked. Staaten p. 407. Schäfer, Demosthenes III 107.

2) XX 22 sqq.

Bosporano principe ipso tumultum excitante Thatenses statim desciverunt regemque pristinum revocaverunt, qui Eumeli rebellatione adiuvanda suum se imperium servaturum esse sperabat. Quam seditionem dupplicem citissime praevenire studens Satyrus cum duobus milibus mercenariorum Graecorum totidemque Thracum et triginta milibus Scytharum, quorum duae partes pedites erant, Asiam ingressus, postquam Thapsim flumen in Maitidem aquas effundens transiit, fines Thatensium invasit. Eumelus et Ariopharnes, coëgerant viginti milia equitum et viginti duo milia peditum[1]). Statim manus conseruerunt. Satyrus ipse ut suos adversarios facile fugavit, ita Eumelus in altero cornu vicit. Qua clade cognita Satyrus persequendo desistens cum Eumelo victore congressus eum quoque fugavit. Fugerunt rebelles in regam Ariopharnis prope Thapsim sitam, quae ex altera parte clivis saxuosis rupibusque pronis munita erat, ex altera parte palude vasta arboribus densa, quae in utrisque fluminis ripis erat. In illa parte Satyri impetus magno cum eius detrimento propulsatus est. Palude autem uspue ad flumen superata cum pontis munimenta lignea expugnasset, flumen transiit ac per silvas viam faciens processit. Sed Ariopharnes sagittariis per arbores distributis milites in opere versatos valde ex insidiis vexavit. Ante arcem cnm substitisset pugna Satyrus ipse Menisco legato laboranti succurit. Sed hasta in bracchio ictus loco discessit. Proxima nocte — hasta veneno imbuta fuisse videtur — mortuus est post regnum novem mensium. Satyrum verum Spartocidam fuisse regnoque dignissimum quis est, qui neget? Exercitum autem orbum Meniscus reduxit Gargazam, in oppidum minus infestnm. Tum cadaver regis aqua Panticapaeum deportavit ad alterum fratrem Prytanem. Qui brevi post cum Gargazae esset ad

---

1) Diod.: *δισχιλίους πρὸς τοῖς διρμυρίοις* cf Krüger, Gr. Spr. § 24, 2, 8. Kühner I 185. 4. Minus recte alii statuerunt duo milia contra Satyri viginti milia.

imperium occupandum, legati Eumeli advenerunt, qui denuo ut regnum divideretur postularent, sed infecta re abierunt. Prytanis autem, quod rex subito mortuus esset, etiam domi regnum firmandum ratus cum maiore exercitus parte Panticapaeum rediit, praesertim cum hostes attenuatos aut devictos esse putaret. Iam vero Eumelus ex paludibus prorumpens Gargazam aliaque castella facile cepit atque celerrime in intimos Bospori fines ingressus est. Tandem Prytanis ei obvenit, sed pulsus in isthmo in Maitidem prominente se dedere cogitur ea lege, ut exercitum et regnum traderet. Addo loca quibus bellum ardebat, Boeckhio demonstrante in ora Maitidis orientali inveniri, cum alia statuerint Ukert, Grote[1]) de Chersonneso Taurica cogitantes. De isthmo autem, ubi Prytanis captus est, vide quae Neumann in describenda Cimmerii regione dixerit. Sed dum Eumelus in provinciis pacandis versatur, Prytanis Panticapaei rebellationem temptavit. Spe autem decepta ex urbe expulsus trans fretum cum effugisset, Cepis captus et interemptus est. Iam Eumelus acerrime ab inimicis se liberare animum induxit. Omnes enim fratrum cognatos trucidavit, unus tantum Satyri filius admodum adulescentulus ad Scythas Chersonesi effugit. Nec de eo quicquam postea memoratur. Cuius barbarae crudelitatis Panticapaïtas vehementer pertaesum est, praesertim cum propter barbarorum et Eumeli societatem metuerent, ne immunitatibus et privilegiis ab eo privarentur. Eumelus autem civibus convocatis pollicitus est regnum antiquo more se administraturum esse (*πάτριον πολιτείαν* Diod.), immunitates Panticapaitarum firmavit, tributum belli gerendi causa exactum (*εἰσφοράς*) se levaturum promisit. Ac statim animi Graecorum mutati sunt et acquieverunt in novi regis imperio. Porro Eumelus nullo iam adversante validissime et iustissime rerum summam tenebat. Graecis se favere demonstravit beneficiis exempli causa Byzantiis et Sinopaeis sine dubio in rebus

1) Ukert, Geogr. d. Gr. u. R. III. — Grote, Gesch. Gr. übers. v. Meisner VI.

commercialibus adfectis. Nec non Callatim a Lysimacho, qui regnum suum Thracicum Graecis barbarisque septentrionalibus subigendis propagare studebat, obsessam summaque ab inopia laborantem sublevabat cum mille cives invalidos excepit oppidumque iis habitandum concessit. Maxima autem laude dignus est, quod malo quasi hereditario Ponti penitus mederi moliebatur. Semper enim Graeci valde vexabantur a piratis maxime montium Caucasi. Quamquam Bosporani iis ad merces spoliatas vendendas fora aperiebant[1], tamen eorum quoque naves a piratis opprimebantur. Idcirco Eumelus expeditiones fecit prosperas contra Tauros, contra Achaeos et Heniochos, ita ut mare brevi a latronibus vacuum fieret. Omnino fines Bosporanorum eo regnante amplissimi fuerunt. Qua re fretus postremo eximium consilium cepit omnes Ponti populos septentrionales subigendi, omnes Graecas civitates Ponticas consociandi, atque erat fortasse is, qui perfecisset, nisi morte repentina et praematura impeditus esset. Post annos enim quinque totidemque menses rure rediens, cum equi efferati frena abiecissent, ex rhaeda exsiluit, sed gladio rotis implicato dilaceratus est.

Successit ei filius Spartocus (IV) anno 304/3, qui viginti per annos imperium obtinuit[2]). Iam sequuntur anni, de quibus fere nihil notum est. „Vacui annales hucusque cogniti neque historia de insequentibus regibus narrat quicquam usque ad Paerisadem ultimum“ (Boeckh p. 93). Nominibus tantum et nummis pauca memorantur, cum res a scriptoribus hic vel illic narratae suspicioni locum dent etiam magis quam antea. Non est dubium, quin res regni cacumine superato iam delabi incipiant. Fines enim premuntur in Asia ab Sarmatis progredientibus, in Europa a Scythis, qui ab illis continente ex terra magis magisque pulsi in Chersonneso Taurica frequentiores fiebant. Inopia inde orta impetus faciebant in Bosporanorum divitias cogebantque denique, ut tributa sibi penderent. Regum ipsorum

1) Strab. XI 496.
2) Diod. XX 100.

ipsorum gens depravatur. Discordiae domesticae foeditatis plenae exoriuntur. Summo iure de his temporibus Perrot[1]) dicit: „La race royale avait sans doute dégénéré; elle se sentait trop faible pour cette lutte perpétuelle contre les barbares, pour ces combats au prix desquels ses ancêtres avaient fondé le royaume du Bosphore“. Solum operam etiam tum dabant amicitae Atheniensium servandae commercii causa. Spartocus (IV) quidem anno 286, cum Athenienses Demetrii dominatione liberati essent, gratulationis instar mille quingentos modios frumenti illuc misit, quam ob rem summos honores reportavit[2]).

In inscriptionibus Lat. 15. 16. 17. 35. 350 reperimus regem quendam Paerisadem Spartoci filium. Litterarum forma annos non multum ab anno 300 distantes indicat[3]). Spartoco (IV) igitur anno 284/3 successit filius Paerisades II.

Deinde titulo 18. nominatur Spartocus Paerisadis filius. Cuius aetatis titulus sit, non iam diiudicandum est, cum ipse iam anno 1833 interierit[4]). Quod autem Boeckh forma Σ antiquiore, non recentiore utitur, nihil refert, quia alias quoque illas non discernit[5]). Sed nihil impedit, quin medio saeculo tertio titulum collocemus, ita ut Paerisadem II Spartocus (V) filius subsecutus sit. Atqui ex titulo 15 Paerisade II Spartoci filio vivo Leuco Paerisadis filius sacerdotio fungitur. Erant igitur Paerisadis duo filii, Spartocus et Leuco, quorum hic sacerdos erat. De hoc Leucone Ovidius loqui videtur versibus Ibidis 309 sq.[6]): „Aut pia te caeso dicatur adultera, sicut — Qua cecidit Leucon vindice dicta pia est“, sine codicum discrepantia ullius momenti. Habemus adulteram, quae ultionis causa Leuconem quendam necat. Ad quod scholia dicunt, Leuconem fuisse unum de regibus

1) Rév. hist. VI p. 47.
2) Sylloge 140.
3) Lat. introd. XXVII.
4) Lat. not. ad 18.
5) cf. Lat. 15. c. not.
6) edit. Oxon. Ellis.

Ponticis, qui Spartocum fratrem cum uxore sua Alcathoë adulterantem trucidaverit, alia scholia („Mure“), quod ipse illius uxorem Alcathoën amaverit. Hoc minus mihi placet, quamquam Ellis haec scholia meliora iudicat[1]). Etenim primum versus scholiis citati poëtae Arionis vel Anonymi ad hanc versionem minus quadrant, itaque scholium „Mure“ secum ipsum pugnat. Deinde nescio an verba „pro amore“, quae codices in hoc quoque scholio exhibent, idem probent, cum non nisi alteris scholiis apta sint, quamobrem ab Ellisio in „prae amore“ mutata sunt. Denique si Leuco fratrem amore uxoris eius impulsus occidisset, ut iam ea potiretur, vix adultera dicta esset, quamvis meliore iure pia diceretur. Aliud igitur mihi probatur. Spartocus erat maior natu et rex, itaque a Leucone necatur non solum adulter, sed etiam frater et rex. Cui fortasse populus quoque favit, cum Leuco fratris impar non adeo virtutes regias praestaret. Multo autem magis probatur res, si illa de Leucone ab Athenaeo et Polyaeno narrata, satellitibus improbis eum uti maluisse et civium tumultu petitum esse, quem non nisi insidiis et vi per mercatores alienos oppresserit, ad hunc Leuconem spectent. Iam elucet, qui factum sit, ut omnes Alcathoen laudarent, quae postea necem amatoris sui magis amati et regis populo carioris ulta est. Ac nec hoc quidem pietate quadam plane carere videbatur, praesertim cum bonos mores labefactatos iam esse memores simus. Conferas quoque si libet versus scholiis citata („causa mortis utrisque fuit“), maxime scholiis C et Ask, quibus utraque caedes merito facta esse dicitur. At Ellis illa facinora omnino non ad Bospori reges pertinere mavult, propterea quod nullius nisi Leuconis I ei in mentem venit. Ad quem ea non quadrare consentaneum est. At res duae, quas ille adfert[2]) non adeo cum poëtae versibus congruunt, quin etiam altera non nisi textus verbis mutatis. — Spartoci (V), ut paucos per annos regnavisse videtur, ita unus tantum titulus

1) Proleg. LVII.
2) p. 121 sq. 174 sq.

mentionem facit. Nec non nummus exstat argenteus regis Spartoci, quem Sallet dicit non uno anno post Alexandri aetatem excusum esse[1]). Leuconis II fratrem interemptum secuti tres nummi aereï sunt, quos idem Sallet tribuit Leuconi cuidam, qui admodum longe post Alexandrum fuerit, is est sine dubio Leuco II[2]).

De quibus regibus cum nonnulla conicere potuerimus, aliorum nihil nisi nomina novimus ex inscriptione, quam Latyschev ineunte saeculo secundo factam esse statuit[3]). Exstant ibi duo Paerisades, pater et filius, quorum hic rex est. Mater regis est Camasarye, Spartoci filia. Eadem nupsit Argoti, sine dubio post mortem prioris mariti. Series igitur regum Bosporanorum denuo duos Paerisades accepit III et IV. Camasaryes pater Spartocus num ipse quoque rex fuerit, Latyschev suo iure dubitat. Quamquam nominis ex indicio familiae regiae fuisse videtur. Ad aetatem autem accuratius definiendam Latyschev alia inscriptione Asiae minoris[4]) dubitans utitur. Quae donaria Apollinis Didymaei enumerans Camasaryen quoque nominat. Haec si illa est, vixit aetate Prusiae II Bithyniae regis (180—147). Itaque pater eius Spartocus quominus cum illo a Leucone interfecto coniungatur, prohibet temporis magnum intervallum. Unius autem ex his regibus nummi aurei sunt, qui regem Paerisadem et oppidi nomen *ΠΑΝΤ* indicant[5]). Ceterum sunt qui nummos Paerisadis inter tres reges dispertiant usque ad Paerisadem ultimum[6]).

Porro est nummus aureus *ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΚΟΥ* verbis inscriptus, quem cum Lysimachi stateribus similem esse tum fere eodem cudendi more emblematis signisque iisdem prae-

1) Zschr. f. Numismatik IV 231.

2) l. l. 229 sq. — Antiquités du Bosphore Cimmérien (Stempovski) II 151 sq.

3) Lat. 19.

4) C I G II 2855.

5) Eckhel, de doctr. numm. II 361. Zschr. f. Numism. IV 231.

6) Oreschnikow, zur Münzkunde des Cimmer. Bosporus. Moskau 1883.

ditum esse, quae nummi illi aurei Paerisadis exhibeant, Imhoof-Blumer aliique viri docti demonstraverunt[1]). Quae si ita sunt, saeculo altero circa aetatem Paerisadis tertii quartive regnavisse videtur Akes sive Akas quidam, de quo nihil amplius notum est. Ceterum alii cogitant, quod ad nummum illum attinet, de Thracico quopiam aut Scythico dynasta[2]).

Denique magis innotuit extremus Spartocidarum rex, Paerisades, eorum quos novimus quintus. Plurimum ad eius historiam adfert inscriptio Cherronasi oppidi[3]) nuper reperta.

Exeunte saeculo secundo res Chersonnesi Tauricae tristissimae erant. Scythae enim Sarmatas continentis terrae evitantes tandem cum Taurorum ferissima gente se coniunxerant atque validum regnum condiderant, cuius impetus Graecis maxime civitatibus imminebant. Erat illa aetate rex Taurorum Scilurus. A cuius latere erant quinquaginta aut octoginta filii cum Palaco regni herede[4]). Quorum Scytharum vexationibus maxime Cherronasus opposita erat[5]), cum Bosporus gravibus tributis pacem sibi redemisset. Cherronasitae autem primo Sarmatas auxilio vocaverant, quorum regina expeditione mirabili audacia facta eos liberaverat. Rege enim interfecto regnum filio eius tradiderat. Sed diutius ut tuerentur Sarmatae, commoveri nequibant, quin etiam brevi post Rhoxolani a Scytharum partibus stant. Quos quamquam Strabo Scythis adnumerat, Tacitus disertis verbis Sarmatas esse adfirmat[6]). Cherronasitae autem Palaco ipso quoque infeste se gerente auxilium

1) Imhoof-Blumer, Porträtköpfe p. 35. Head, historia nummorum p. 430.

2) Chabouillet, Mém. de la société des antiquaires de France III 9 — cf. Lat. introd. XXXII not.

3) Lat. I 185. cf. Dittenberger, Sylloge 252, Rhein. Mus. 42, 559 sqq. (Niese).

4) Strab. VII 309.

5) Strab. l. l. — Polyaen. VIII 56.

6) Strab II 114 — Tac. hist. I 79,

petunt a Mithradate Ponti rege. Qui re libenter ad opes suas augendas capessita Diophantum ducem mare transgredi iussit, qui Palaco victo[1]) Tauros finitimos subegit[2]). Sed sumptus, quos Scythae ad hoc bellum fecerant, Bosporani solvere cogebantur tributis magnopere auctis. Neque iam pendere poterant[3]). Quam ob rem Paerisades rex legatos ad Diophantum victorem misit, qui auxilium peterent nuntiarentque se ipsum Mithradati regnum concedere[4]). Statim Diophantus eo profectus est, ut res componeret[5]). Quamquam Paerisades regis nomen retinebat, quandoquidem postea etiam rex appellatur. Pro Scythis iam Mithradati tributa eum solvisse verisimile est. Quo facto Diophantus Cherronaso proficiscens campum Scythicum invasit maximamque partem pacavit. Sed cum Diophantus Sinopem reversus esset, Scythae denuo rebellaverunt cum Rhoxolanis — quos titulus *Ῥευξιναλούς* vocat — foedere icto[6]) atque Cherronasum aggressi sunt. Statim Mithradates Diophantum rursus misit, qui hieme et vere (anni 112/11 v. i.) Scythas Palaci plane devicit a Sarmatis frustra adiutos ac tum in Bosporum transiit, ut mandatis iam a Mithradate acceptis regnum tradendum curaret. Sed omnium Scytharum turbatione ii quoque, qui Bosporanis parebant, vehementissime commovebantur neque est dubium, quin Diophanti acta et odium regum Ponticorum iam mere Graecorum flammam etiam magis incenderint. Rebellaverunt Saumaco quodam duce, qui Paerisadem, *τὸν ἐκθρέψαντα αὐτόν*, interfecit[7]). Quinam est ille Saumacus? Appianus quidem[8]) Sobadacum Scytham memorat, qui ad Romanos transfugere molitus sed a Mithra-

1) Lat. I 185 v. 7. — Strabone teste Mithradati primo cum Sciluro, tum demum cum Palaco res est. cf. VII 309 et 306.

2) Strab. VII 312.

3) Strab. VII 310.

4) Strab. VII 309.

5) tit. v 9 sqq.

6) tit. v. 21 sq. Strab. VII 306.

7) tit. v. 32 sqq.

8) Mithr. 79.

date interceptus est. Quem Foucart Dittenberger Niese eundem ac Saumacum esse opinantur. Equidem aliud iudico. Forma enim nominis *Σαύμακος* certa redditur nummo quodam significante *ΒΑΣ. ΣΑΥ*[1]). Sobadaci autem nomen non minus non corruptum videtur. Est enim deus Phrygum Sabazios, sunt *Σαπαῖοι* Herodoti[2]) et *Σάβοι* Eusthatii[3]), est denique Olbia *Σαβία*[4]) et gens Scythica Saiorum, ita ut mutilatio nominis Saumaci vix comprobari possit. Confer porro nomen Olbiopolitae Spadaci C I G II 2068. Litteras autem o et a illis locis saepius inter se mutari titulorum nomina Comosarye et Camasarye demonstrant. Adde Graecam litteram ŏ sonum „clausum" plerumque habuisse, quam ob rem sonus „apertus" facile alia littera significari poterat. — acus syllabam autem a populis Scythicis ad nomina formanda saepissime adhibitam esse constat. — Quomodo autem Saumacus cum Spartocidis coniunctus erat? Quid volunt verba illa tituli *τὸν ἐκθρέψαντα αὐτόν*? Nomen quidem barbarum est, quamquam illis temporibus et locis Graeci quoque barbaris nominibus utebantur. Sunt qui putaverint artiore vinculo cum Paerisade eum coniunctum fuisse, ita ut ipse Spartocida fuerit[5]). At Cherronasitae id aliter et accuratius sine dubio indicassent. Atque quod soli Scythae ab eius partibus stabant, persuadet nobis et ipsum quoque Scytham fuisse. Jam vero non est verisimile principem Scythicum vel filium principis eum fuisse, qui ex patria remotus Panticapaei in aula regia refugium invenerit, fortasse etiam unum de quinquaginta vel octoginta filiis Sciluri. Quod ineptum est, nam Scilurus erat ille hostis Bosporanorum, qui tributa in dies maiora postulabat. Obsidem apud se detinuissent Bosporani. Meliore iure pro-

1) Zschr. f. Numism. VIII 329 sq.
2) VII 110.
3) ad Dion. Perieg. 1069.
4) Anon. Per, P. E. p. 9 — cf. Heidelberger Jahrbücher 1822 p. 1235.
5) Zschr. f. Numism. l. l. (Weil).

baveris Saumacum ex eorum principum familiis fuisse, qui a Sciluro magnum regnum condente et tot Scytharum gentes sibi subiciente expulsi erant. Qui a Bosporanis libenter recipiebantur ut semper Sciluro infesti. Tamen aliud conicere mihi libet. Verbum enim illud *ἐκθρέψας* nimium miri habet, quam ut nihil nisi ingratum Saumaci animum indicet. Atqui tituli Bosporani pro servi nomine semper utuntur *θρεπτός*[1]) et *θρεπτή*[2]). Conferas si libet vocabula eadem stirpe formata *τρόφιμος*[3]) *τροφίμη*[4]) et *τρέφειν δούλους* apud Xenophontem[5]). Alia verba servis significandis apta in illis regionibus nulla inveniuntur, quae usitentur. Quamobrem nihil impedire puto, quin *ἐκθρέψας* illud, — in composito cur haereamus, non est — dominus iudicandus sit, *οἰκοδεσπότης*, cuius servus aut sane libertus Saumacus fuerit. — Saumacus igitur Scytha, Paerisadis servus, rebus regni difficilibus dirutisque adductus et popularium multitudine fretus regem trucidavit, qui liberis orbus fuisse videtur: si minus, totam eius familiam interemptam esse verisimile est. Tum Scythas, qui tumultuosis antea temporibus plurimi in Bosporo consederant, per totos fines excitavit turbavitque, quippe qui bello Diophanti cum Scythis Sciluri gesto admodum commoti essent. Diophantus autem, qui inter has turbas Panticapaeum venerat, sine dubio periculo non intellecto aut contempto sine militibus satis multis aderat. Iam insidiis a Saumaco petitus vix effugit nave a Cherronasitis missa[6]). Saumacus autem nullo adversante sed servis barbarisque adiuvantibus in Bosporo regnum Scythicum condebat ac nonnullos per menses obtinuit. Illis temporibus orti esse videntur nummi, quos diximus, regis Saumaci, si quidem re vera ad hunc Bosporanum Saumacum spectant. Etenim

---

1) Lat. II 52, 53, 364.
2) 54, 400, 401.
3) 170, 301.
4) 148, 256.
5) Mem. 2, 7, 3 u. ö.
6) tit. v. 33 sq.

aestate iam peracta Diophantus proximo demum vere magno cum exercitu reversus, postquam Theudosiam et Panticapaeum expugnavit, Saumacum captum et in vincula coniectum ad Mithradatem misit. Inde ab hac aetate Bospori regnum cum Chersonneso Taurica coniunctum sub ditione mansit regum primum Ponticorum, tum suorum Romano imperatori parentium. Expeditiones autem Diophanti intra annos 113 et 110 factas esse Niese comprobat. Anno igitur 111 ultimus Spartocida supremum diem obiit liberis non relictis — mentio quidem eorum fit nulla. Gens Spartocidarum regnavit ab anno 438 usque ad 111, trecentos viginti septem annos.

Paucis denique opus est de duobus regibus Bosporanis loqui, quos quidem Lucianus adferat, Leucanore et Eubioto[1]). Ab eodem Alanos quoque commemorari in illorum rebus, qui christiana demum aetate illis locis habitaverint, Boeckh iam miratur. Neque regum notorum series illis principibus locum dat. Quid? quod populi, de quibus Lucianus verba facit, summae suspicioni sunt velut Machlyes, qui gente Libyca omissa nulli nisi Suidae[1]) ut natio Colchica cogniti sunt. Sed is ex Luciano eos sumpsisse videtur. Deinde Sindiani (= Sindi?), ut qui iam diu a Scythis defecerint, quibus iam rursus subiciuntur. At Sindi ab antiquissimis temporibus artissime et fideliter cum Bosporanis coniuncti erant. Iure igitur Boeckh Latyschev alii reges illos Luciani in poëtae fabulas reiecerunt, praesertim cum Lucianus non historiam scribere voluerit, sed ad rem moralem demonstrandam exemplis uti. Aliis de causis totam illam dialogum in fabulas reiecit Sybel. (Hermes XX 43 ff).

De internis regni Spartocidarum rebus pauca tantum nota sunt, propterea quod paene nihil de iis diserte narratur et inscriptiones publicae perrarae sunt. Plerumque igitur res hic vel illic loco dato traditae investigandae conferendaeque sunt.

---

1) Lucian. Toxar. 44 sqq.

2) s. v. χούφη γῆ.

Maxime de magistratu regni, de regum potestate, de administratione res in dubio sunt. Sunt enim, qui principes tyrannorum instar fuisse existimaverint[1]), alii certe in Graecis civitatibus archontes eos fuisse eiusmodi, ut in Attica, praeter quos contiones legitimae, magistratus sui iuris exstiterint[2]).

Hi argumento utuntur maxime sollemni denominatione, quam tituli exhibent. Rectissime viderunt, duas aetates distingui posse, quae disiunguntur anno circiter trecentesimo a. Chr. n. Ante hoc tempus semper exstat: *ἄρχοντος τοῦ δεῖνος Βοσπόρου καὶ Θευδοσίης, βασιλεύοντος Σινδῶν* et quae sequuntur. Postea regis nomen praevalebat idque in utraque regni parte. Boeckh igitur statuit Spartocidas fuisse archontes *τοῦ κοινοῦ τοῦ Βοσπόρου*, praeter quos in singulis quoque civitatibus archontes fuisse non esset infitiandum. Probatur id quidem usu Boeotarum, ubi praeter *ἄρχοντα Βοιωτῶν* vel *Βοιωτοῖς*[3]) archontes quoque municipiorum[4]) exstant. Neque aliter in ea pentapoli, cuius caput Odessus est, titulus est: *ἄρξαντα τῆς πόλεως καὶ ἄρξαντα τοῦ κοινοῦ τῆς πενταπόλεως*[5]). Sed singulos archontes in singulis Bospori civitatibus fuisse non nisi uno titulo comprobari videtur teste Boeckhio, qui eponymum quendam monstrare videatur[6]). Quem spurium esse Boeckh ipse vidit.

Est ansa amphorae Phanagoriae reperta. Post Boeckhii autem aetatem permultae in Bosporo inventae snnt, quae saepissime eponymum quendam monstrant verbo *ἐπί* c. gen. aut solo genetivo, saepius etiam addito verbo *ἀστυνόμου* aut *ἀστυνομοῦντος*[7]). Quas ansas Becker putat amphorarum fuisse aliunde in Bosporum translatarum, maxime Olbia,

1) Grote l. l. VI 802 sqq.

2) Boeckh, Latyschev l. l., similiter Niese, Gesch. d. gr. u. makod. Staaten.

3) C I G I 1570. 1593.

4) l. l. 1565. 1573. 1575.

5) C I G II 2056 c.

6) C I G II 2121 v. supra.

7) cf. P. Becker in Jhb. f. Phil. Suppl. IV. V. X.

Rhodo, Thaso, Cnido. Nec non lateres sunt multi magistratus illius nomine instructi, quos imprimis Olbianos fuisse Becker vult (l. l. X p. 25 sqq. 32. 67 sq. 109 sq.). Ad contiones autem demonstrandas Boeckh utitur loco supra memorato, ubi Eumelus Panticapaitis convocatis pollicetur *πάτριον πολιτείαν* se esse servaturum. — A rerum deinde scriptoribus complures denominationes aliae exhibentur. Hae sunt: *δυνάσται*[1]), *βασιλεῖς*[2]), *τύραννοι*[3]), *ἡγεμόνες*[4]), *μόναρχοι*[5]). Omnia autem haec nomina certa ratione non esse adhibita patet, neque ut usus publici specimina essent, nonnulla etiam numquam sollemnia et publica fuerunt. Atqui Maitis, ut barbaris, reges praeerant, velut Hecataeus, Ariopharnes, Gorgippus[6]), quorum potestatem et nomen populis subactis susceperunt Spartocidae. Quod autem ad Graecas civitátes attinet, res diceptari non potest nisi muneribus publicis administrationisque legibus perpensis, quod iam facere instituimus.

Ac primum dico de re militari. Quoad eius spectare licet, exercitus Spartocidarum semper componebantur ex mercenariis Thracicis Graecisque et ex Scythis Sarmatisque, qui regno parebant. Mentio quidem fit mercenariorum in bello civili Eumeli[7]), titulis Leuconis I[8]), Spartoci (III) et Paerisadis[9]), denique sepulcralibus velut Drosanis Paphlagonis[10]). Isocratis e testimonio[11]) Sopaeus universae rei militari consulit (*δυνάμεως ἐπιμελεῖσθαι*) et Diodori Meniscus

---

1) Strab. VII 310. Plut. adv. Stoic. 7.

2) Chrys. ap. Strab. VII 301. Poly. VII 37 saepius. Lat. I 184.

3) Aesch. in Ctes. 171. Din. c. Dem. 43. Polyaen. VIII 55. Strab. VII 310 saepius.

4) Strab. XI 495.

5) Strab. VII 310.

6) Stran. XI 494 cf. Appian Mithr. 102 — Athen. XIII 575.

7) Diod XX 22.

8) Syll. ad 99.

9) Syll. 101.

10) Lat. 296.

11) Trapez § 3 sqq.

fuit ὁ τῶν μισθοφόρων ἡγεμών. Quae cum ita sint, fieri non potest, quin statuamus milites semper sub vexillis fuisse stipendiisque conductos esse, atque et barbaros et Graecos hoplitas. In mercenariis autem hoplitarum modo armatis nihil est cur offendamus. Leuco rex barbaris magis confidebat quam hoplitis, cum terram contra Heracleotas defenderet. Quod nescio an factum sit, quod illi sua tuebantur, horum autem minoris intererat vinci. At Graecas regni civitates umquam milites conscripsisse aut cives stipendia meruisse nusquam memoratur. Cives enim, quos Leuconi suspectos e bello domum missos et post interfectos esse Polyaenus dicit, imperia quaedam militaria tenuisse mihi persuasum habeo. Ad quae Spartocidae Graecos cives evocasse saepe videntur. Quod deinde a civibus in liturgiarum numero τριηραρχιῶν quoque munus praestari debuit, non contra pugnat, cum cives navium etiam duces fuisse non necesse sit statuere. Ergo potentia regum posteriore praecipue aetate, cum Sindi aliique Maitae artius cum Bosporo coniuncti essent, nixa esse videtur exercitu cum mercenario tum barbaro.

Administrabatur regnum a solis regibus. Προξενίαι cum immunitate iunctae semper a regibus donantur ἐν παντὶ Βοσπόρῳ [1]). Cuius iuris civitates participes fuisse exspectaretur, quoniam in civitatibus liberis senatus populusque eo munere fungitur [2]), sed in titulis numquam occurit ἔδοξεν ullum, immo vero: ὁ δεῖνα καὶ παῖδες ἔδοσαν. Sed etiam intra fines ex suo arbitrio reges res tractabant. Gyloni quidem Atheniensi Ceporum oppidum a Satyro dono datur, item ab Eumelo Callatianis expulsis aliud oppidum. Deinde soli reges cum civitatibus exteris agunt, quamobrem soli decretis nominantur honoresque reportant. Etiam Arcadum illud, cuius verba ἔδοξε τοῖς Ἀρκάσιν Λεύκωνα Παντικαπαΐταν valde democratiam sapiunt, tamen regi adtribuitur. Eodem modo omnia Atheniensium decreta, quibus immunitas civitasque regibus dentur, non civibus Bosporanis.

1) Lat. 1—3.

2) Monceaux, les proxénies Grecques p. 12 sqq. 213.

In civitate tantopere commercio florente vectigalia et portoria maxima esse oportebat. Exigebant autem reges mercium et importandarum et exportandarum tricesimam[1]). Praeterea tributa erant a civibus pendenda. Namque postquam eam civitatem, quae paene totum Bospori commercium manibus tenebat, portoriis liberaverunt reges, unde pecuniam sumerent ad exercitum sustentandum? Atque commemorantur *λειτουργίαι*, quae Bosporanis praestandae erant[2]) — earum quoque Athenienses immunitate fruebantur, quoad res eorum in Bosporo collocatae erant, — deinde cum Panticapaitae disertis verbis *ἀτελεῖς* vocentur, statuendum est ab aliis certa vectigalia solvi debuisse. Sed etiam illi gravibus temporibus *εἰσφοράς* praestabant[3]), ut bello Eumeli civili. Ac ditissima erat universa illa regio, quandoquidem solum Nymphaeum, quamdiu Atheniensibus parebat, talentum pendebat, quamvis prae maximis emporiis finitimis non ita opulenta civitas fuisse videatur. Verum enimvero non constat civitatem illam talentum etiam solvisse: conici enim licet Athenienses eam tanti recensuisse solum aeque ac ceteras civitates Bosporanas[4]). Anno autem 424 classem in Pontum missam esse, quae tributa exigeret, notum est[5]). — Contra Spartocidis opus erat magnis quoque sumptibus. Ut non dicam de ornamentis vestibus aula sumptuosis, exercitus propter barbaros infestos semper sub vexillis retentus, bellaque frequentissima magnas pecunias devorabant, posteriore aetate etiam tributa solvenda erant Scythis. Quamquam Grote[6]) putat semper ea solvenda fuisse atque etiam iis Scythis, qui intra limitem Theudosianum habitaverint. At Strabonis[7]) verba falso interpretatus est. Immo vero

1) Dem. c. Lept. § 26.
2) l. l. 31.
3) Diod. XX, 24.
4) cf. Busolt, Gr. Gesch. II, 539 sqq.
5) Thuk. IV, 75.
6) l. l. VI, 805.
7) VII, 311 sqq. *ἐπιτρέψαντες ἔχειν τὴν γῆν τοῖς ἐθέλουσι γεωργεῖν ἀντὶ ταύτης ἀγαπῶσι φόρους λαμβάνοντες . . . μετρίους τινάς . . . μὴ διδόντων δὲ αὐτοῖς πολεμοῦσιν.*

Scythae, quamvis optimos agros possiderent, agriculturae inviti se dedebant, ac libentius sua locabant Bosporanis colonis colenda, etiam ii, qui Bosporo parebant. Qua cura liberati amplius vagari malebant super planitiem Tauricam. Mercedes autem conductionis quamquam exiguae erant, tamen Scythas saepius vi exigere necesse erat, quod a colonis contemni solebant, praesertim cum ipsi agrorum domini plerumque longissime remoti essent. Tributa autem a regibus pendebantur tum demum, cum res Spartocidarum collaberentur, Scytharum augerentur.

Porro, quod ad rem iudiciariam attinet, primum memores sumus facinoris illius a Leucone contra viros suspectos commissi, quod Polyaenus tradidit. Certior et clarior est lis, de qua agit Isocrates in oratione Trapezitica. Satyrus enim legatum Sopaeum vagis rumoribus incusatum temere in vincula coniecit atque re familiari publicata etiam Athenas misit, qui rem ibi collocatem filiumque adducerent. Quamquam utrumque innocentem fuisse postea eluxit. Unde videmus Satyrum cum Atheniensibus foedus rite fecisse ad homines mutue tradendos. Etenim Sopaei filius non ignorabat Satyro postulante fore, ut ab Atheniensibus dederetur, quam ob rem in aliam civitatem fugere animum inducebat[1]). Ceterum idem adversarius eius cupiebat, quod, si ille fugisset, litem neglegere posset, cum futurum esset, ut causa diiudicaretur, etiam si ille in Pontum rediisset. Itaque iudicia commercialia inter Athenienses et Bospori reges fuisse videntur, praesertim cum postremo inter adversarios illos conveniret, ut Satyro *δίαιτα ἐπὶ ῥητοῖς* committeretur.

Quae adhuc exposita si consideramus, facilius est potestatem Spartocidarum definire. Dictatorum instar et Graecis et barbaris imperabant, omnia suo arbitrio gubernantes, et exercitum et iudicia et res externas et commercia et administrationem. Nec non argumenta aliunde sumpta

---

1) l. l. § 9.

exstant. In tumulo enim quodam regio principis imago est picta nuntium accipientis a viro ante eum genua flectente[1]). Est ea tabula Neumannii ex opinione saeculi quarti. Deinde omnia quae inventa sunt cadavera et imagines eorum, qui regiae familiae sunt, amplissimis et speciosissimis ornamentis aureis, catellis, anulis, paleris, aliis quasi cumulata sunt, quod numquam Graecorum mos erat. Quae res non aliter ac tiarae capitibus impositae[2]) regum orientalium mores attingunt. Adde, quod vestimenta permultis squameis aureis ornata erant[3]), quibuscum conferre licet Sarmatarum „loricas ex cornibus rasis et laevigatis plumarum specie linteis indumentis innexas[4])“. Barbara igitur erant regum insignia, non Graeca. — Eodem pertinet, quod reges non ideo imperio fungebantur, quia cives eos fungi voluerunt, sed quia ex gente regia orti erant. Gens autem regia saepius universa agit, velut in decretis, quae fecerunt, *Παιρισάδης καὶ παῖδες*[5]), deinde Athenis statuae cum Paerisadis regnantis tum Satyri filii et Gorgippi soceri a Demosthene simul exstruuntur, quorum hic ne Bospori quidem erat; tum titulus honorarius Lat. 19. totam familiam regiam amplectitur, etiam Argotem, qui eiusdem gentis non erat, sed gentilem quandam in matrimonium duxerat. Denique decretis Atheniensium gentis regiae vinculum semper memoratur. — Ac ne *πάτριος πολιτεία* Diodori quidem contra pugnat. Interpretari nos illa verba oportet ex rebus tum gestis, quod supra conati sumus. Latyschev, Niese[6]) Diodori verba nimium augentes coniciunt, Paerisadem I paternam gubernandi rationem commutasse, Eumelum restituisse. Neque vero quicquam est, quod illud comprobet. Quod verum Eumelus cives convocavit, inde minime sequitur legitimas

1) Antiquités der Bosphore Cimm. pl. XXIII. cf. Neumann l. l. 513sq.
2) cf. Neumann l. l. 515.
3) l. l. 509 sqq.
4) Ammian. XVII 12. 2.
5) Lat. 1—2.
6) Gesch. d. gr. u. mak. Staaten p. 411 sq.

ἐκκλησίας in Bosporo fuisse. Nimis autem temerarius mihi Niese[1]) videtur fuisse. Primum enim adfirmat saepius filios regum una regnavisse, ex qua re succedendi leges dubiae exstiterint rixasque commoverint. Sane quidem una regnaverunt Spartocus (III) et Paerisades I, sed diviso inter se regno, idquod tituli probant. Bellum autem Eumeli superbia eius exortum est, non ambiguitate legis succedendi. — Deinde sententias illorum, qui archontum nomine nimis deducuntur, sequens Niese iudicat in Graecis Bospori civitatibus „habe sich das alte griechische Stadtkönigtum erhalten". At quo tempore coloniae illae Jonicae conditae sunt, in Jonum civitatibus iam dudum reges prisci imperare desierant atque aristocratiae exsistebant. Unde in Bosporanis coloniis illi „Stadtkönige" emerserunt? Num unum argumentum exstat vel minimum? Etiam Archeanactidas verisimile est oligarchicum imperium tenuisse eodem fere modo, quo Bacchiades aliique[2]). — Iam vero restat, ut denominationem illam titulorum sane memorabilem, quae tot errores excitaverit, interpretemur. Quod enim Boeckh, Latyschev existimant „invidiae devitandae causa" Spartocidas pro regum nomine archontes se vocandos curasse, falsum mihi videtur. Etenim primum invidia etiam maior fiebat, si reges barbarorum Graecis civitatibus praeerant. Βασιλεῖς Graeci non eodem modo odium excitassent. Deinde apud Graecos semper fuerunt βασιλεῖς. Vide Atheniensium βασιλέα, φυλοβασιλεῖς alios. Tales reges si non summam rerum gubernabant, sed certa quaedam munera, inde hoc tantum sequitur, temporibus rebusque paullatim mutatis priscum regii muneris honorem item mutatum esse, et novos gubernandi modos novis nominibus significari solitos esse. De invidia autem omnino non cogitandum est, quippe quae a Romanis potius sumpta esse mihi videatur. Nec non a Pindaro „reges" honoris causa cantantur: num invidiae devitandae causa? Spartocidae igitur ut a regulis Maitarum

1) l. l. 412.

2) cf. Boeckh. Latyschev l. l.

regum nomen, ita ab Archeanactidis archontum nomen hereditate acceperunt. Utrumque nomen servabatur sollemni titulorum usu, ut nostrorum principum denominationes ampliores eadem veterum munerum honorumque vestigia monstrant. Ceter umverbo ἀρχεινἄρχων nihil significatur de modo, iure, potestate principis, quoniam Dionysius tyrannus ipse quoque titulis ὁ Σικελίας ἄρχων [1]) vocatur. Sed cum ab Alexandri aetate regis nomen clarius magisque usitatum factum esset, in Bosporo quoque ut alibi prisca sollemnis denominatio evanuit atque ab illis potentissimis regibus nomen in alios minore potentia praeditos transiit. Potestas igitur Spartocidarum una eademque erat et in Graecis et in barbaris. Quid? Nonne hi postea praecipue regnum sustentabant, cum maxima pars exercitus essent? Constat hoc de Scythis Bosporanis et Sindis Graecorum moribus valde accommodatis. Graeci autem plus conferebant ad sumptus dominorum, cum militia liberi essent, ubi volebant. Nec praeter Spartocidas alii magistratus sui iuris erant exceptis fortasse sacerdotibus. Pauci quidem, quorum mentio fit, militares sunt et regum libidini subiecti. Licere enim puto ex verbis Isocratis „ἐπιμελεῖσθαι τῆς δυνάμεως“ magistratum militarem sumere, qui nescio an nominatus sit ἐπιμελητής (τῆς δυνάμεως). Hac in re differt quoque Spartocidarum imperium a Pisistratidis exempli causa. Qui ut magistratus legitimi crearentur permittebant, dummodo unus semper ex ipsorum gente esset. Ipsi autem Pisistratus eiusque filii aliis opibus rationibus potestatibusque summam rerum sibi vindicatam retinebant. Regii autem magistratus sive praefecti quibus nominibus in Bosporo gavisi sint, non est notum, cum tituli christianae demum aetatis denominationes complures exhibeant. — Itaque in Bosporo ad annos numerandos reges soli apti erant neque invenimus in titulis alios eponymos nisi semel sacerdotem saeculo tertio [2]). — Adde in Bosporo aetatem semper significari regis nomine sine

1) Sylloge 54,7 72,18 73,8 cf. Her. I 59 (Pisistratus) ἦρχε Ἀθηναίων.
2) Lat. 308.

certo annorum numero adhibito. Quamquam semel in nummo[1]) praeter Eumeli litteras ligatas numerus *Z*, id est sex, exstat, de quo infra. — Quae cum ita fuerint, miretur quispiam Graecos hanc tyrannorum dominationem tam diu libenterque tulisse. Et traduntur memoriae initio rebellationes seditionesque fuisse. Sed postquam Spartocidae crudelitatibus non abhorrentes penitus eas oppresserunt et intra fines et extra fines, postquam eorum opera commercium tantopere florere coepit regnumque potentissimum est factum Graecorum viribus non ita valde intentis, hi acquiescebant paullatim, praesertim cum reges Graecorum maxime patronos se praeberent ac gens regia eodem modo Graecis moribus se appropinquaret — si quidem barbarae originis erat —, quo ipsi Graeci barbaris moribus inquinabantur. Nec non commoda talis dominationis validae omnibus facilia intellectu erant. Accedebat, ut amicitia Spartocidarum et Atheniensium honoresque inde reportati reges maximo splendore et autoritate ornarent.

De quibus cum satis dixisse mihi videar, pergo de re nummaria nonnulla exponere. Quamquam de nummorum valore nulla exstant decreta publica ut Olbiae, tamen praeter illas de Leucone narrationes admodum suspectas ipsi nummi reperti sunt complures. Qui usque ad saeculum tertium nil nisi urbium nomina exhibent, inde ab hac aetate regum nomina oppido interdum adiuncto. Sunt nummi antiquiores Panticapaei[2]), Theudosiae[3]), Gorgippiae, Phanagoriae[4]), et aurei et argentei et aerei[5]). Suis igitur nummis foederis regnique civitates diu utebantur. Quin etiam est nummus Panticapaei, qui Phanagoriae iterum excusus sit[6]). Adeo

---

1) Antiquité II 153,

2) Mionnet, déscription de médailles I, 347 catalogue of the Greek coins in the Br. Mus. Thrace.

3) l. l. Suppl. II, 11.

4) l l. II. 33.

5) Eckhel, de doctr. numm. II, 1, 339.

6) Mionnet l. l. Suppl. IV, 417 n. 11.

in his rebus regno concordia deerat. Emblematum loco in nummis exstant deorum figurae, frequentissime Panis, quod non dubito quin propter Panticapaei nomen factum sit, quamquam Phanagoriae quoque sunt, quod nomen item ad Panem assonat; praeterea maxime grypis aut leonis, interdum cervi figurae. Grypibus utebantur Bosporani sine dubio propter aurum per regnum Bosporani ex intima Asia exportatum, cuius custodes grypes fuisse feruntur[1]). Regum mentio fit nomine *βασιλεύς* atque sunt Spartoci (V.) Leuconis II Paerisadis III aut IV. In his nomen quoque urbis est *ΠΑΝΤ* aut litterae eius ligatae. Nummus autem, qui fertur regis Eumeli anni numero addito[2]), suspicionem maximam debet, praesertim cum anno demum 306 Alexandri duces regum nomen usurpaverint. Sed rem diiudicare nequeo. Ad quos nummos Graecos complures accedunt barbari prope Panticapaeum reperti, quorum origo et valor incertus est[3]). Sed videntur iis usi esse Bosporani. — Omnino de nummorum valore haec colligere potui. Antiquitus in civitatibus Asiae Thraciae Macedoniae aliis nummi cudebantur argentei ex pondere Babylonico, quod vocatur „kleinasiatisch-babylonischer Fuss"[4]). Cuius nummi pondus erat 10,9—11,2 g atque etiam aliquantulum maius. Nec non aureos nummos Babylonicos Graeci Asiae imitabantur iam saeculo VII. Cudebantur stateres magni (16,8g) et parvi (8,4g). Illi (tetradrachma) frequentissimi fiebant Tei Mileti Phocaeae Cyzici, et est inter eos Cyzicenus qui vocabatur. Verisimile autem est Bosporanos ut Ionum *ἀποίκους* et terrarum illarum propinquos iisdem nummis usos esse, quod probari videtur emblematis antiquis leonem aut grypem significantibus, quorum illud Mileti, hoc Tei usitatissimum erat[5]). Atque constat in Bosporo antiquitus

1) Her III 116, IV 27.
2) Antiquités II, 153.
3) Antiquités II, 161.
4) Busolt, Gr. Gesch. I, 356. Hultsch, Metrologie § 23.
5) Busolt l. l. I, 590 A. 1—601 A. 6.

Cyzicenos fuisse, quod mercator ille Atheniensis Demosthene teste (c. Phorm. 23) Cyzicenos et drachmas Atticas in Bosporo commutavit. Aequabat autem Cyzicenus duodetriginta drachmas[1]). Mutatae sunt res, postquam Atheniensium imperium maius factum est eorumque commercium in Bosporo consedit. Quorum nummi argentei (tetradrachmon Solonicum = 17,46 g, brevi ante Persarum bella = 17,27 g, Hultsch § 25) ut ubique libenter accipiebantur[2]), ita praecipue in omnibus imperii civitatibus nec non in iis, quibuscum commercia erant, frequentes fiebant, cum proprii nummi aut ex eodem valore aut ex alio pristino excusi tamen retinerentur usuique interno essent[3]). Etiam tributa Atheniensibus argento pendebantur. Utrum autem Bosporani eius aetatis nummi Atheniensibus similes fuerint an propriis pristinis, nescio. Pondus autem argenteorum didrachmorum, quae in Museo Britico servantur (l. l. N. 5. = 12 g) magis se appropinquat Aeginetico (11,9—12,4 g) aut Babylonico ponderi. Nec non aurei stateres aliquantum graviores sunt quam Attici (l. l. N. 1—4). — In regum deinde nummis primum sunt aerei Leuconis. Sed aerei semper dubii fuerunt neque quicquam certi de nomine nec de valore plerumque constat[4]). Describuntur nonnulli aerei in Catalogue of the Gr. c. N. 16—33 (ante Alexandrum) 34—52 (post Alex.) regis nomine non instructi. Aliter res se habet, quod ad argenteos nummos Spartoci et aureos Paerisadis attinet. Aurei enim stateres in ipsa Graecia primo a Philippo et Alexandro Macedonibus plures cudebantur. Apud Athenienses non ita frequentes fuerant, qui omnino certam pretii rationem de auro et argento non constituerant[5]). Macedones autem primo imitabantur daricos aureos Persarum (8,4g), quorum tamen pondus Atheniensium stateribus appropinquabant

1) cf. Mordtmann, Zum. bospor. Münzs. Hermes XIII, 378 sqq.

2) cf. Busolt, Gr. G. II, 539.

3) Hultsch l. l. p. 240.

4) Hultsch p. 244 sq. — L. Müller, Die Münzen des thrac. Kön. Lysimachus §§ 3, 7.

5) Hultsch p. 225.

(8,73 g), propterea quod Persarum nummi aurei iam in omni Graecia multi exstabant[1]). Persarum autem regno occupato Alexander argenteos Atheniensium nummos per totos fines propagavit[2]), ita ut et aurei et argentei nummi per totum Graecum orbem certo quodam valore eoque Atheniensi (tetradrachmon = 17,27g) et certa mutui pretii ratione[3]) excuderentur. Nummus igitur Spartoci argenteus, quippe qui ex medio saeculo tertio esse videatur, vix est dubium, quin illum valorem secutus sit. Et nummi, quos Catalogue of the Gr. c. argenteos ex illa aetate enumerat (l. l. N. 11—15) pondus Atticum exhibent (didrachmon N. 11 = 8,4g). Atqui Lysimachus Thraciae princeps permultos stateres aureos cudendos curabat Alexandri, postea sua imagine ornatos. Et post eius mortem Byzantii perrexerunt deteriore quidem arte Lysimachicos stateres cudere ea aetate, qua Galli in Thracia regnum condiderant[4]). Quos sequebantur alii quoque populi Pontici[5]). Cum his stateribus Lysimachi deterioribus Byzantiorum nummos illos Paerisadis miram quandam similitudinem habere viri docti nummorum scientiae dediti censuerunt. Constat igitur illos aureos Paerisadis valorem Macedonicum secutos esse. Accedit, ut Cyziceni brevi post Alexandri aetatem in Bosporo non iam inveniantur. (cf. Mordtmann l. l.) Habemus haec: primo Bosporani suis nummis utebantur, qui pondus valoremque sequebantur Babylonicum Asiaeque minoris, et aureis Cyzicenis. Tum praeter hos Atheniensium argentei frequentissimi fiebant commercio florente imperioque Atheniensium tantopere aucto, praesertim cum Athenienses in Bosporo plus emerent quam venderent. Denique nummi aurei Macedonum Atheniensibus accomodati et illorum argentei a Macedonibus suscepti et propagati etiam Bosporum occupant

---

1) Hultsch p. 242, L. Müller l. l. § 3.

2) Hultsch p. 221. 244.

3) quamquam haec nondum ab ipso Alexandro constituta esse videtur cf. Hultsch p. 246.

4) L. Müller l. l. p. 29, 56.

5) l. l. p. 35.

saeculo tertio, id quod factum quoque est in Epiro (anno 312) Ponto (302) Bithynia Cappadocia aliis[1]. Ex eodem pondere ac valore Bosporani cuduntur nummi et argentei et aurei atque manserunt fere iidem usque in saeculum alterum.

Quod ad res sacras deorumque cultum attinet, fere nihil nisi nomina eorum, qui culti sint, notum est. Sunt autem plerique communes Graeciae dei. Apollo quidem invocatur ut *ἰητρός* et *σωτήρ*[2], et *Φοῖβος*[3]) nec non Didymaeo munera votiva a Camasarye tribuuntur[4]). Apollo „Deochius“ inscriptionis C I G 2132 verbis ab ipso Boeckhio melius lectis evanuit[5]). Praeter Apollinem medicum Aesculapius coliter, cuius statua mutilata[6]) et tabula honoraria[7]) aetatis sane incertae inventae sunt. Tum Dianae haec nomina induntur: Agrotera[8]) et *Ἐφεσείῃ*[9]) (sic), quorum utrumque Ionicam originem probat. Item nonnulla e cultu Veneris. Qui simplex est plerumque[10]), bis cognomine gaudet Caelestis[11]) sed maioris momenti aliud est cognomen, quod est in titulo antiquissimo litteris Atticis priscis scripto[12]) *Ἀπάτορος*, alias *Ἀπατούρου μεδεούσῃ*[13]). Strabone autem teste[14]) in Corocondamitidis sinu Apaturum oppidum situm erat, quod nomen a dea accepisset. Perperam Neumann nomen esse barbarum inquinatum arbitratur, meliore iure Boeckh[15]) Apaturiarum commonefacit „quae Atticae et Jonicae

1) Hultsch p. 250, 580.
2) Lat. I, 93, II, 6, 10, 348.
3) Lat. II, 9.
4) C I G II 2855 vide supra.
5) cf. Lat. II, 468 c. not.
6) Neumann l. l. 486.
7) Lat. II, 30.
8) Lat. II, 344.
9) Lat. II, 11.
10) Lat. II, 21, 22, 349.
11) l. l 19, 347.
12) l. l. 469.
13) l. l. 19, 343.
14) XI, 495.
15) C I G II p. 100 cf. tit. 2120 c. not.

sunt originis". Deinde Ceres titulo 13 θεσμοφόρος nominatur ac feminae funguntur eius sacerdotio [1]). Tum statua mutilata reperta est Matris Phrygiae [2]) atque eadem titulis (16 et) 17 invocatur. — Ut autem Cherronasi et Olbiae, ita in Bosporo valde colebatur Hercules, quippe qui fabulis de originibus illarum nationum fictis memoretur una cum dea Apaturo [3]). Ad quem pertinent tituli 24, 35 et I 245 (vide notas). — Semel invocatur Hecate Σπάρτης μεδεούση [4]), quae a Latyschevio cum Diana coniungitur. Persuasum mihi habeo ab hospite Lacedaemonio illam tabulam dedicatam esse, quod comprobatur nominibus Βάθυλλος Δέρκιος. — Miratus sit quispiam Achillis cultum, qui in ora magis ad occidentum versus sita frequentissimus fuerit, in Bosporanorum usu non fuisse. Sed coniunctus ille erat artissime cum Leuce insula, quae maximi aestimabatur ab iis, qui Olbiam ex Bosporo Thracico navigabant. Unde nescio an statuere liceat, vias navium Bosporanarum oram Thracicam illamque insulam non tetigisse. — Denique paucis attingere libet titulum illum, quem Comosarye Paerisadis uxor ἰσχυρῶι θειῶι Σανέργει καὶ Ἀστάραι dedicavit [5]). De quibus deis multum iam litigatum est. Confer, quae attulerint Boeckh C I G II 2119, Dittenberger Syll. 104, Latyschev. Raoûl-Rochette [6]) emendare vel legere volebat ἑκαέργει καὶ ἀστερίαι, ad Apollinem et Dianam respiciens, quod merito omnes improbaverunt. Nemo nunc est, qui dubitet, quin uterque deus sit barbarus. — Restat, ut nummos adferam, qui Panis, Apollinis, Bacchi—qui etiam in vasis frequentior est [7])— Herculis, Minervae, Dianae, Neptuni, Veneris figuras exhibeant. — Sacerdotes deorum maiorum etiam in regno

1) Lat. II, 20.
2) Neumann 486 sqq.
3) Strab. XI, 495. confer Herodoti de Scytharum origine opiniones lib. IV.
4) Lat. II, 23 c. not.
5) Lat. II, 346.
6) Antiquités du Bosphore Cimmérien p. 37 sqq.
7) Antiquités du Bosphore Cimmérien (kaiserl. Ausg.) II p. 60.

maiore autoritate fructos esse nemo est qui ignoret. Leuco enim Paerisadis II filius Apollinis sacerdotio functus est, priusquam rex factus est. Atque semel[1]) ad annum definiendum praeter regem sacerdotis nomen additur, sed in titulo sacro. Deinde a Strabone[2]) traditur propheta quidam Achaicarus maximis honoribus cultus esse, cum ille similitudinem adfert Amphiarai, Orphei, Magorum, Gymnosophistarum, haruspicum Tuscorum, aliorumque. — Manebat autem sacerdotium non semper per vitam, quod saepissime in titulis verbum *ἱερησάμενος* nuncupatur[3]). — Praeterea commemorandum est Apollinem Paerisade I regnante ludis celebratum esse videri[4]) ac postremum iam illa aetate initia apparere sodalitatum, quae post tantopere floruerint. Unus enim exstat titulus[5]), qui a *θιασίταις* ineunte saeculo secundo Veneri Caelesti *Ἀπατούρου μεδεούσῃ* dedicatus est. Cuius sodalitatis munere publico fungitur solus *συναγωγός*, cum postea Romana aetate plurima fuisse munera tituli demonstrent.

Iam dicam de commercio Bospori, cuius in flore opes regni positae erant. Res, quae exportabantur, permultas suppeditabat ager uberrimus, Maitis piscium abundans, planities Scythicae pabulorum plenae. In primis erat frumentum, quod cum Graeciae tum maxime Atheniensibus necessarium erat. Sicilia enim et Aegyptus ne frumentum satis multum adportarent, bellis barbarorum diuturnis saepius impediebatur. Quocirca Bosporus ante omnes idonea erat, propterea quod aditus eius in Atheniensium manibus erant Qui si intercludebantur, summa inopia ac fames Athenis exoriebatur, nam multum aberat ut Attica se ipsa nutriret. — In aliis rebus erant ligna aedificando apta, tarichi, cerae, mel, coria[6]), praeterea propter terras barbaras finitimas

1) Lat. II, 308.
2) XVI p. 762.
3) exempl. c. Lat. II, 10, 15, 348.
4) Lat. II, 345 (*ἀγωνοθετήσας*)
5) Lat. II, 19.
6) Schäfer, Demosthenes I 265. cf. Polyb. IV 38 XXXI 24.

mancipia. Memor sis servorum, qui Athenis Σκύθαι vocabantur. Sed etiam transitoriae merces magna adferebant commoda. Supra enim iam diximus, vias negotiatorum ex intima Asia illuc ferre et maxime aurum agminibus mercatorum adportatum esse, quod sub septentrionibus inveniri putabatur[1]), id est in Sibiria, quae nunc est, meridionali. Porro Bosporani sine dubio participes erant commercii cum populis super Scythis habitantibus facti. Nec non piratae spolia, ubicumque erant correpta, in Bospori praecipue emporiis vendere solebant. — Contra multae erant res, quas Bosporani sibi ipsi parare nequibant. In quibus primum artificia erant et suppellex politiore arte perfecta, certe quidem antiquiore aetate, cum posteriore in Bosporo ipsa artifices optimi considerent (vide infra). Advehebantur autem ex Attica vasa fictilia, tum ex omni Graecia vinum, quod caelum Bospori asperius erat, quam ut meliors fruges maturaret. Quamquam enim vineta illis locis incolebantur, velut Cherronasi, ubi nunc quoque ruinae saeptorum exstant titulis non improbantibus, tamen hieme vites obtegi necesse erat[2]): Graecas vites ab eis aequatas esse non est verisimile. Nec non oleum ex Graecia quaerendum erat. — Viae autem, quibus naves vehebantur, non iuxta oram Thracicam ferebant, ut supra dictum est, sed a Bosporo Thracico per medium Pontum. Panticapaeum erat emporium ad Pontum Graeciamque, Phanagoria ad Maitidem magis spectans[3]).

Ex quo commercio frequentissimo et amplissimo magnas divitias ex vectigalibus hauriri potuisse patet. Atque exigebant reges Bospori a navibus advehentibus et avehentibus tricesimam. Sed cum vectigalia graviora commercio impedimento esse soleant, reges iam olim id studebant, ut impedimenta illa removerent. Et cum summa negotiorum penes Athenienses esset, Spartocidae nihil antiquius habebant, quam ut cum illis amicitiam agerent negotiaque eis

1) Her. III 116.
2) Neumann p. 415.
3) Strab. XI 495.

expedirent. Ut (Spartocus II et) Satyrus, magis etiam Leuco I, quem Paerisades I aemulabatur, tum Spartocus (IV)[1]. Semel atque iterum beneficiis et humanitate Athenienses sibi conciliabant, sic ut honores et commoda, velut nautas conducendi veniam, ipsi quoque adipiscerentur. Summum autem, quo Atheniensimum amicitiam consuetudinemque fovebant, erat primum immunitas portoriorum, deinde quod illis concedebant, ut ante ceteros naves implerent, tum quod opes eorum resque familiares, quae intra fines Bospori essent, a censu tributoque eximebant. Qua ratione paene omne Bospori commercium Athenienses amplectebantur, quo factum est, ut saepius aliarum civitatium naves inanes discederent. — Sed gratos se praebuerunt Athenienses. Regibus enim Bospori tribuerunt civitatem immunem, *πολιτείαν* et *ἀτέλειαν*. Itaque illis licebat in amplis Atticorum finibus coloniisque commodis suis consulere, quia capitis deminutio eorum nulla erat. Conferas causam Sopaei filiique et iudicium postea factum, cum Satyro *δίαιτα* commissa esset, omnino de commercialibus iudiciis vide supra. Num Bosporani cives quoque immunitate Athenis fructi sint, non est notum. Sed cum praedia regum maximam frumenti partem gignerent — ex servorum multitudine postea enormi et perniciosa conicere licet, latifundia magis magisque magna exstitisse — et omnino ii negotiis ipsi operam dedisse viderentur, cives minus commercium transmarinum tractabant. Sed etiam donis interdum datis amicitias firmari Spartocidae non ignorabant. Quid? Nonne annona premente classes frumentarias Athenas miserunt identidem sine dubio minore pretio vendendas? — Sed ut Athenienses nunc omittam, etiam alios Graecos sibi conciliare studebant, ut Eumelus Byzantios, Sinopaeos, Callatianos. Qua re gloriam suam ut Graecorum Ponticorum patroni firmabant. Idem ceterum consequebantur immunitate Atheniensibus data. Namque cnm portoriis, quae regum

1) cf. Isocr. Trapez. — Dem. c. Lept. — c. Phorm. — Din. c. Dem. — Sylloge 101. 140. — Strab. VII 310 sq.

erant, remissis ipsorum reditus imminuerentur, divitiae civium Graecorum eo magis augebantur, quo frequentius fiebat commercium. Tamen reges non plane commoda illa abiciebant, propterea quod Bosporanorum ditiorum tributa simul augebantur.

Ad amicitias publicas fovendas antiquitus imprimis *προξενίαι* instituebantur. Conferri possunt cum nostris consulatibus, quamvis in contrario fundamento exstructae sint. Cum enim res publica extera apud nos sua iura habeat eisque per suos cives consulat, apud Graecos sine iure erat, et iudicia adipisci studebat per cives alterius civitatis[1]). *Πρόξενος*, qui eligebatur, *προστάτης* civium eius civitatis fiebat, cuius erat *πρόξενος*. Erant autem proxeniae ad res sacras, ad commercia, ad foedera conservanda causasque inde exortas agendas. His non opus erat Bosporanis, cum ab omnibus bellis Graecis se abstinerent. Foedus autem cum Atheniensibus factum[2]) nihil fuisse puto nisi formulam honorariam. Ad sacra autem tuenda proxenias in Bosporo constituerant Delii et Delphii[3]). Athenienses autem proxenos ibi nullos habebant, neque opus iis erat, cum reges ipsi Athenarum cives essent. Spartocidae ipsi quoque proxenos creabant, quod saepius fecisse tyrannos quoque ex suo arbitrio regnantes constat[4]), velut Paerisades I Amisi[5]) et Chalcedone[6]), sed Athenis minime eademque ex causa ex qua Athenienses non fecerunt. Licebat enim iis Athenis res suas tractare per quoslibet viros[7]). Sed in

1) cf. Monceaux, les proxénies Grecques p. 1 sqq.

2) Syll. 140. *βοηθεῖν παντὶ σθένει καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν.*

3) Monceaux l. l. 205 sq. Ceterum Deli forum mancipiorum erat maximum.

4) l. l. 209 sq.

5) l. l. 206. = Lat. II 1 c. not. In hoc titula Latyschev an recte *θεράπουσίν* suppleverit, dubito. Num enim servi quoque *προξενίαν καὶ ἀτελείαν* accipiebant? Tituli autem Lat. I 8. 9. nihil probant, quod exhibent: *χρημάτων ὧν ἂν εἰσάγωσιν . . θεράποντες.*

6) Lat. II 2 cf. 3.

7) Isocr. Trapez. § 5 sq. *τοῖς ἐνθάδε ἐπιδημοῦσιν ἐκ τοῦ Πόντου.*

proxeniis a Spartocidis institutis hoc mirum videatnr. Cum enim ab Jonibus fere semper proxenia una cum civitate data sit, in Bosporo non ita est, quamquam Jones illa oppida condiderant incolebantque. Nec magis Athenienses Jonum morem sequebantur[1], cum perraro proxenis civitatem quoque tribuerent. Utrum autem Bosporanorum usus ab Atheniensibus sumptus est an ipsa civitas donanda ibi non regum sed singularum civitatium erat? Hoc magis mihi placet. Itaque probatur proxeniis quoque potestas regum absoluta, quippe cum proxeni tantum illorum autoritate crearentur et civitate singulorum oppidorum contempta in regum amicitia acquiescerent.

Postremo iam dicam nonnullo de vita privata, quoad quid memoriae est traditum. Sed ut tituli non aliter ac rerum scriptores de ea fere omnino silent, ita vasa et tabulae pictae, quae alias maximum valent ad illam cognoscendam, in Bosporo minoris momenti sunt, quod non usquequaque notum est, cuius aetatis cuiusque originis sint.

Ac primum quidem de vestitu illis locis Graecorum proprio nonnulla operae est pretium adferre. Repertae enim sunt in tumulis permultis, quorum minor pars adhuc indagata est, multae tabulae pictae, quibus pugnae Graecorum cum barbaris commissae depinguntur. Atqui in his Graeci iuduti sunt tunicis manicatis braccis caligisque. Ea autem vestis ut Medica ita Sarmatica est, minime Graeca[2]. Vide igitur, quatenus Graeci Bosporani aut caelo asperiori aut mori barbarorum prudentiori vestimenta accommodaverint[3]. Barbarorum item est cadavera sepelienda ornamentis aureis obtegere. Imprimis regum corpora imaginesque tabularum tali abundantia decorata sunt, ut Medos eos fuisse existimaveris[4]. Qui mos sumptus est sine dubio a regulis Sarmatarum vel Maitarum, qui Medorum cognati fuerint.

1) Monceaux l. l. 14. 58 sq. 210.
2) cf. Neumann l. l. 509 sq.
3) cf. Grote l. l. VI 309.
1) Neumann l. l. 513 sqq.

Pauca deinde novimus de studiis Bosporanorum. Manifestum est maxime eos operam navasse commerciis negotiisque. Praeterea piscandi causa multi Maitidem intrabant, atque erant in ora eius orientali complures piscatorum vici[1]). Artificum autem studia initio in Bosporo nullum habebant locum, Pleraque venim vasa fictilia ex Graecia, maxime ex Attica adportata esse constat. Quam ob causam eorum figurationes dubitanter solum adhibere licet ad mores Bosporanos eruendos, velut illud vas, in quo lampadum certamen fingitur[2]). Sed etiam reperta sunt vasa, quae Atticae quidem artis documenta sunt, tamen ex materia Pontica facta et ex rebus ingenioque Pontico orta sunt. Unde comprobatur aliquando artifices Atticos in Bosporum transmigrasse ibique consedisse, per quos proprii quoque artifices Bospori geniti sint[3]). Nec non aureae catellae aliaque ornamenta in tumulis illis reperta sunt permulta, quorum pars summo artificio caelata externam originem indicat, altera pars barbarorum ex ingenio et manibus orta esse videtur[4]). — Ex aedificiis autem maxime sunt memorabilia ingentia illa et grandia sepulcra, quae aut infra terram fodiebantur, aut quod saepius factum est, terra effossa obtegebantur, ita ut tumuli ampli evaderent[5]). Qui sepulturae mos antiquissimus in Lydis Caribusque quoque et in Scythis est.

De reliquis rebus privatis fere nihil est notum. Feriae publicae fuerunt in honorem Apollinis, cui ludi celebrabantur. Nec non cotidiana vita frequens et variationum delectationisque plena videtur fuisse, propterea quod multi alieni et barbari et Graeci in Bosporum confluebant. Nam Spythis Maitisque omissis ex omni orbe erant, qui ibi considerent. Sepulcrorum quidem titulis veterioribus memorantur Heraclea, Odessus, Cherronasus, Amisus, Cromna

---

1) Strab. VII 311 XI 493.
2) Antiquités II 60.
3) cf. Neumann l. l. 507. — Perrot l. l. 43.
4) Antiquités I. et planches.
5) Grote VI 808 sq. — Neumann 470 sqq.

(= Amastris), Paphlagonia, Persae, Chius, Cyprus, Syracusae[1]). Tamen Bosporani cum non ignorarent patriam Graecam multo sibi antecellere, ad res ibi gestas animos semper adtendebant. Velut Sopaeus ille filium Athenas misit κατὰ θεωρίαν. Atque consuetudine perpetua inter communem patriam et colonias remotas mutua aliquantum certe prohibebatur, quominus barbari Graecos nimis inundarent inquinarentque. Denique Athenaei[2]) testimonium adfere licent, quo citharoedus Stratonicus apud Paerisadem — incertum, qui fuerit -- aliquamdiu versatus sit, atque Polyaeni illam de Leucone narrationem, qua Aristonicus a Memnone in Bosporum missus arte sua cantandi omnes cives ad theatra coëgisse fertur.

Sed satis de Bospori rebus dixisse mihi videor. Paucis consummare volo, quas singulares et memorando dignas partes regnum illud exiguum gesserit. Gens nescio an barbara tyrannorum instar ex suo arbitrio foederi Graecarum civitatium imperat plus quam per trecentos annos. Sed prudentia cautissima et singulari temperantia id effecit, ut rebus regni florentibus opulentiaque aucta Graeci dominationem non inviti ferrent et concordia inter barbaros regni et Graecos solida esset. Qua ratione regnum illud sane quidem Graecum, admodum exiguum vitam degebat suis rebus deditam in mediis barbaris undique instantibus, ac multum adtulit cum ad ipsius Graeciae, praecipue Athenarum opes augendas tum ad mores humanitatemque Graecam propagandam. Quo in officio diutissime se fidum praebuit. Namque rebus aliquamdiu attenuatis brevi recentem florem consecutum est, qui sub Romanis et Byzantinis imperatoribus penitus in aetatem christianam floruit. Sed hoc alterum aevum describere aliorum et fuit et erit.

---

1) Lat. II 286. 288—9. 291—2. 294. 296. 300. 302—3. 381. 468.
2) VIII 349d.